



24. VIII. 27. 8. 1985 (pp) 2.1.

DAROVANO KNUJZNICI  
EDWARDA KARDELJA  
V CELJU

H. c. 28

Hab

GENEALOGIÆ  
SOUNEKIORUM  
COMITUM CELEJÆ,  
ET  
COMITUM DE HEUNBURG,  
SPECIMINA DUO  
*CONSCRIPTA*  
AB ERASMO FROELICH, S. J.

MARIÆ THERESIA  
AUGUSTÆ  
DICATA: J. N. 1729  
CUM SUB AUGUSTIS EJUSDEM AUSPICIS  
EDMUNDUS LIB. BARO  
A BRABECK  
HILDESIENSIS, ET HALBERSTADENSIS  
CANONICUS

Ex Philosophicis, Historicis & Mathematicis Disciplinis  
in Collegio Regio Theresiano S. J. publice responderet.

Anno MDCCCLV. Mensē Septembri.

\*\*\*\*\*  
VIENNÆ AUSTRIÆ.  
TYPIS GHELENIANIS.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY  
OF TORONTO LIBRARIES  
SERIALS SECTION

GENEALOGIA  
SOUNERIORUM  
COMITUM CELJE<sup>ET</sup>  
COMITUM DE HEINBURG  
SPECIMINA DUO  
CONCERTA  
A<sup>a</sup> ERASMO RODELICH<sup>s</sup> I.  
MARIÆ THHERESIA  
AUGUSTA  
EDMUNDUS TIB. BARO  
CANONICUS  
HILDESENSIS. DE HABERSTADEN  
ARISTOCRAT  
547 1985  
Ex Libr. of Prof. Dr. H. J. Hoffmann  
in College Road, University of Toronto  
Yours W. H. C. G. M. B. B.  
LIBRARY OF THE UNIVERSITY  
OF TORONTO LIBRARIES  
SERIALS SECTION





*Mari de Majtens pinse;*

*F. L. Schmitner sc: Viennae 1755.*

MARIAE. THERESIAE.  
AVGVSTAE.

FRANCISCI  
IMPERATORIS. AVG.  
HVNGARIAE. ET. BOHEMIAE.

REGINAE.  
ARCHIDVCI. AVSTRIAEC  
MATRI. PATRIAEC.

OB. INEXHAVSTAM. IN. BONAS. LITERAS.  
ET. IN. CONLEGIVM. THERESIANVM.  
MVNIFICENTIAM.

ATQVE. IN. EXTEROS. ETIAM. CLIENTES.  
LARGISSIME. DIMANANTEM.

SI. EXTERVS. APVD. AVGVSTAM. DICI.  
GERMANVS. AC. THERESIANVS. POTEST.  
HOC. LITERARIVM. TENTAMEN.  
SVB. AVGVSTISSMIS. EIUS. AVSPICIIIS.  
EX. PHILOSOPHIA. HISTORIA. MATHESI.  
PVBLICE. SVSCEPTVM.

ET. HANC.  
DE. CELEIANIS. COMITIBVS. OPELLAM.  
INLVSTRANDIS.  
AVSTRIACARUM. PROVINCIARVM.  
STYRIAЕ. CARINTHIAЕ. ET. CARNIOLIAЕ.  
ANTIQUITATIBVS. NON. INVtileM.  
SEQVE. IPSVM. TOTVM.  
AVGVSTAE. DOMVS.  
AVSTRIACO - LOTHARINGAE.  
DEVOTISSIMIS. OBSEQVIIS.  
PROFVNDISSIMA. CVM. SVBMISSIONE.  
DICAT. DEDICAT. QVE.  
TANTI. BENEFICII. ET. HONORIS.  
AETERNVM. MEMOR.

*Clientum infimus*

EDMUNDUS L. B. a BRABECK,  
Hildes, & Halberstad. Canonicus.

AD

## AD LECTOREM.

**C**eleja pervetusta olim, splendidaque Norici Civitas, Municipii jure gavisa, exiguo hodie ambitu clauditur, eaque Cily, vel Cili, Cilei, Ziliis &c. appellari, scribique solet. Circumiectus ager Marchie (olim Carinthiacæ, ut opinor) sive Styriae inferioris pars, saculo demum a reparata salute quarto decimo a Celeja seu Cilia oppido nomen traxit, posteaquam Fridericus liber de Sounek anno MCCCXXXI. Celejam aut recepit, aut acquisivit, idemque an. MCCCXLII. a Ludovico Bavarо Augusto Comitis Imperii honore condecoratus fuit.

Magnis deinde accessionibus amplificatus est a Friderici posteris Celejanus Comitatus, atque ad dena millaria germanica in longum, in latum ad quaterna, & quod excurrit, porrigebatur sub postremis comitibus Friderico II, ejusque filio Ulrico, quos ad sublimem Imperii Principum gradum Sigismundus Imperator, Friderici Celejani gener, anno MCCCCXXXVI. evexit. Sounekiorum stirpem Masculam clausit Ulricus III, sine superflite ulla prole, anno MCCCCCLVI. extinctus.

Post varios pro amplissima Celejanorum hereditate  
adeunda emulorum conatus, Fridericus III, Impera-  
tor, Celeja denique, nec sine gravi periculo, potitus  
est, & successionis mutuae pactorum veterum, & ducis  
Styriae Jure, accidente Imperatoriae auctoritatis firma-  
mento. Exinde Styriae ducatui arctius insertus est Cele-  
janus ager, omnisque illa Regio, quæ ad occidentem  
Carinthia, ad ortum Sclavonia, seu Croatia terminata,  
Savo ac Dravo fluviis ad Meridiem & Arcton conclu-  
ditur, quintam Styriæ partem constituit, eaque tametsi  
minus proprie, das Vierhel Cili appellari consuevit,  
quanquam etiam Comitatus Cili a nonnullis nominetur.

Sounekiorum Celeja Comitum, Principumque illu-  
strem sane stirpem, resque ab iisdem preclare, aut se-  
cus, gestas, Austriaque Historia, ut plurimum, il-  
ligatas nemo dum, quod sciam, pro dignitate exposuit.  
Unicum fere hac in re suppetit Chronicon Celejanorum  
Comitum, germanico idiomate conscriptum, editum ab  
SIMONE FRID. HAHNIO, collectionis monum. Tom. II.  
quod ad recentiora tempora illustranda plusculum lucis af-  
fundit, quam ad vetustiora. LAZII Genealogia Sou-  
nekiorum vera falsis miscet, eamque suis locis censura  
notabimus. Que apud HÜBNERUM legitur Genealogia  
veterum Comitum de Cili, Tabula DLXIII, Tom.  
II, ea commiserationem potius meretur, quam laudem.  
Attamen hac fere sunt, quæ de Celejanorum Comitum

stir-

stirpe, historiaque, ex instituto conscripta, atque publi-  
ci Juris facta tenemus; Ceteri enim scriptores, non  
nisi aliud agentes, Celejanarum rerum interdum memi-  
nere: ut AENEAS SILVIUS, HASELBACHIUS, ANONYMUS  
LEOBIENSIS, VALVASOR in Carniola, FUGGERUS, alii.

Nemo tamen, ut variis in libris documentisque spar-  
fas colligeret, unumque in corpus res Celejanas copta-  
ret, quod ego quidem norim, hactenus operam dedit.  
Quæ res, præter accepta complura de Celejanis Comiti-  
bus deque illa regione, documenta, nondum publicam  
in lucem producta, animos mihi fecerat, ut illustrande  
Celeja biennio abhinc manus admoverem. Documenta  
porro illa, chartæque veteres ab incomparabilis indu-  
stria, ac profunda doctrina viro P. SIGISMUNDO PUSCHIO  
S. J. Academæ Græcensis olim cancellario, conquista,  
mihique ab inclito Græensi Collegio benigne commodata  
fuere. Accessit his Repertorium Tabulariorum Austria-  
corum MStum. Item quedam a viro celeberrimo P.  
ANTONIO STEYRER S. J. de Celejanis documentis indi-  
cata.

His itaque fretus subsidiis Celejanas res quascun-  
que, inde a Tiberii Claudii Augusti atate, undequaque  
conscrivere cœpi, atque in unam temporum seriem com-  
paginare, eamque opellam Chronicon Celejanum ap-

pellare constitui. Prolegomena quadam huic affecto  
duntaxat Chronico praefigenda paraveram, quorum par-  
tem efficiebant hæc Specimina II. Genealogiæ Soun-  
kiorum, Celejæ Comitum, & Comitum de Heun-  
burg, quæ isthic interea eruditio lectori exhibeo, dum  
reliqua consequantur. Priore in Specimine aliquid con-  
jecture, sed ut mihi blandior, admodum probabili,  
dandum erat; uti fere, si antiquiora tempora perscrutemur,  
fieri solet, atque documentorum defectu inter-  
dum debet. Alterum specimen certiore decurrit ordine:  
utriusque precipuarum conversionum, actorumque aliquid  
illigavi; ne jejuna nimium, molestiorque lectori,  
spinoa alioquin Genealogica disceptatio  
obtruderetur.



SPE-



# S P E C I M E N I. GENEALOGIÆ

Sounekiorum , deinde Comitum Celejæ:  
Et Comitum de Heunburg.

**C**omites Celejani , seu de Zili vel Cily &c. antea  
Liberi de Saneck appellati fuere. In vetustioribus  
porro Documentis de Sunech , Sounech , Seuneck ,  
Sewneck , Seneke , Saaneck , Sannegg &c. scribi solent , no-  
mine ducto vel a castro Suneck in Carinthia , vel alio  
Saneck in agro Celejano , ad fluvium Sanam sito. Hoc  
Vocabulum Sana vel Saana contractum fuerit e Slavico  
Savina id est Savus minor ; in Savum enim se effundit

A Sana;

*Sana*: plane uti alter Celejani agri fluvius, *Dranvel Dran* vulgodictus, Slavis *Dravina*, seu *parvus Dravus* vocatur; quod se in *Dravum* exoneret. Hanc de *Savinæ* ac *Dravine* etymologia notitiam *Cl. Popovicsio* Celejano me debere profiteor.

Souneckiorum stirpem a communi cum Heunburgiis, Sternbergiis, Trevensibusque origine defluere censet LAZIUS, eamque ad Engelbertum Sponheimensem referre videtur. Exhibere libet *Lazii* sententiam, de harum ortu familiarum non satis vere, ac perspicue prolatam, ut a falsis vera, aut veri similia discernere possimus. De Comitibus Ciliae, ita LAZIUS (a) „Comites a Cilia & Segor, & Liberi a Saaneck, cognati Comitum a Sternberg, Treven, & Haynburg, immo ex eodem capite descendentes, eademque insignia usurpantes, tres videlicet aureas stellas in cælestino clypeo.) Sternbergios vero, Heunburgiosque rubro in clypeo tres aureas stellas ostentasse, alibi monet. Primum e Saaneckiis profert *Lazius Ulricum circa Annum M. CCC. IIII.* nulla ulterioris originis mentione. Heunburgiorum deinde Comitum stirpem paullo altius repetit his verbis (b) „Comites de Starchant & Haynburg, potentissimi apud Carnos fuerunt, ejusdem

, ge-

(a) *Lazius de migrat. gent. Lib. VI. pag. 182.*

(b) *Lazius de migrat. gent. Lib. VI. pag. 180.*

„ generis cum Sternbergensibus , Pfannbergensibus &  
„ Ciliensibus &c.) Argumenti vis maxima præter Scuti  
similitudinem , in eo est , quod Heunburgiorum bona ,  
& Sternbergiorum ad Celejanos devenerint , & ad Pfann-  
bergios. Heunburgiorum primos ita recenset LAZIUS :

„ I. *Wolfgerus & Hedericus* circa Annum Salutis  
„ Millesimum S. Stephano Regi Hungariæ in bello sup-  
„ petias tulerunt . . .

„ II. *Wilhelmus & Chunradus* Comites de Starchant  
„ in literis Henrici Ducis Carinthiæ inter testes citantur  
„ de Anno 1096. Fundarunt in Carnis Oberndorf  
„ Coenobium.

„ III. *Haimo* , castrum suum , a se appellatum , in  
„ monasterium vertit , fuitque primus , qui mutato no-  
„ mine se Comitem de Haynburg scripsit.) Denique  
Starchandum ab Engelberto Sponheimio descendere , ad  
AVENTINI mentem , ita LAZIUS insinuat , uti hoc sche-  
ma exhibet. (c)

A 2 En-

(c) Idem ibidem Lib. VII. pag. 291. attamen pag. 292.  
aliquantum hæsitat , ac variat.

*Engelbertus Comes Sponheimii  
uxor filia Henrici Duci Carinthiae.*

|                           |                    |                   |                     |
|---------------------------|--------------------|-------------------|---------------------|
| <i>Hardvicus Ratisbo-</i> | <i>Engelbertus</i> | <i>Wernherus</i>  | <i>Rappato Co-</i>  |
| <i>nensis Episcopus</i>   | <i>Marchio</i>     | <i>Dux Carin-</i> | <i>mes Arten-</i>   |
| <i>Istriæ &amp;</i>       | <i>Istriae</i>     | <i>thiæ</i>       | <i>burgi in Ba-</i> |
| <i>Crayburgi</i>          |                    |                   | <i>joaria.</i>      |

|                              |                   |
|------------------------------|-------------------|
| <i>Starchandus</i>           | <i>Werigandus</i> |
| Hi duo S. Thiemonem Archiep. |                   |
| Salisburgensem cepere.       |                   |

Discutiamus jam singula. In *Celejanorum Comitum Scuto & Stellas Heunburgiorum*, & *Sponheimensium Ortenburgi Comitum tres alas* comparere novi; at ista non continuo communem stirpis originem evincunt: uti neque arces & prædia ex una ad aliam familiam migrantia. Id enim non raro nuptiis debetur, mutuisque successionis pactis. *Celejanos Comites affinitate & mutuis pactis*, *Ortenburgiorum Carinthiacorum fundos obtinuisse*, & non sine affinitatis ratione *Heunburgiorum hereditatem a Celejanis, & Pfannbergensibus aditam fuisse*, suo loco ostendemus. Aliquid tamen inde probabilis argumenti, pro ejusdem sanguinis nexu desumi posse, haud negaverim, atque eam partem, quæ ad *Celejanorum & Heunburgiorum* nexum spectat, aliis documentis stabilire contendam.

In Heunburgicæ prosapiæ primordiis multa peccat Lazius : Nomen ipsum *Haynburg* scribit, & ab *Haimone* quodam infeliciter derivat. Nam in antiquis diplomatum documentis nusquam *Hamburg* vel *Haynburg* legas, etsi historici & chronographi serius ita scripserint ; sed verum vetusque vocabulum est *Huninburch*, *Hunenburch*, *Hunnburg*, *Hewnenburch*, ut ita potius *Hunnorum castrum*, quam *Haimonis* arcem appellatum fuisse eum locum credam, a quo Carinthiaci hi Comites cognomen sumpsere.

Quos vero Heunburgiorum primos refert LAZIUS:  
Wolferum & Hedericum, eos neque THUROCIUS (d)  
neque AVENTINUS (e) unde LAZIUS sua solet desumere,  
neque BONFINIUS (f) Heunburgios, vel de Starchant, us-

A 3 1136 1981 5 piam

(d) M. Job. de Thwrocz Chronica Hungarorum, parte II.  
Cap. 28. meminit tantum Vencellini Comitis Alemanni, quem S.  
Stephanus Rex suis copiis præfecit, felici contra Cupam even-  
tu: item duos Principes Hunt, & Paznan ad salutem corporis  
adlectos fuisse.

(e) Aventinus Annal. Bojorum L. V. pag. 511. Hæc habet;  
„ Hanto, Wolfger, Hermannus, Bozo, Wenceslaus Bojorum  
„ optimates, cum Gisla in Ugriam migrant, & more Teuto-  
„ num Stephanum ense, Baltheo militari accingunt, armis in-  
„ duunt.

(f) Bonfinius Dec. II. Lib. I. pag. 173. id unum ad Thuroczi narrationem adjungit de Hunt & Paznam: hi Teutones fuisse traduntur. Non licet Hunenburgios ab isto Hunt deducere.

piam compellant. Ego sane Tò *Starchand*, vel *Starchant*, vel *Starchard*, nequaquam loci, aut inde nominatæ familie Vocabulum esse censeo, sed *Viri* nomen aut cognomen, a robore manuum, *Starchand*, vel a firma indole, *Starchart*, desumptum. Quoties in antiquis documentis hoc Vocabulum inveni, *Viri*, non *familia*, notionem illic deprehendi. In Diplomate Henrici Ducis Carinthiæ legitur: *Starchand Marchio de Soune*. In vita *Cunradi Salisburgensis*, ita: *a quibusdam principibus captus est (Thiemo) Marchione videlicet (&) Starchardo, & fratre ejus Werigando*. Apud ANNALISTAM SAXONEM notatur ad Annum 966. (g) „, *Starchandus Rubelocensis (Aichstetensis) Episcopus obiit, cui Reginboldus successit in Episcopatu.*

Ipse LAZIUS sibi non constat, dum Rappatonis filios, adducto AVENTINO, *Starchandum & Werigandum* appellat. Nusquam aliquem offendit de *Starchand* appellatum: neque castrum aut locus *Starchard*, vel *Starchand* in Carinthia, & vero nec alia in regione, Geographis, quod sciam, innotuit. Igitur viri nomen est, non loci, aut stirpis. Quod deinde *Lazius* scribat, in charta Henrici Ducis Carinthiæ Anno 1096. lectos fuisse testes: *Wilhelnum & Chunradum Comites de Starchant*, id

(g) *Annalista Saxo*, Eccardi corp. *Histor. Tom. II.*  
pag. 310.

id ego , quod ad illud : de Starchant , attinet , non credo ; sed Laziane licentiæ tribuo , pluribus exemplis comprobatae .

Nos certe paullo inferius in charta ejusdem Henrici Ducis Anno 1102. vel sequente , subscriptos testes *Wilhelnum & Chunradum* , proferemus , at non *Comites de Starchant* , verum ita : *Udalschalk Comes , Walt Comes de Riuna , Chunradus filius Udalschalcii , Willibalm de Huninpurch , & Starchant Marchio de Soun* , & frater ejus *Udalrich*....) Hanc summi momenti chartam fortasse viderit LAZIUS ; sed , ut interdum solebat , de memoria quædam audacter in rem suam citaverit . De *Haimone & Haimburgo* fabellam paullo superius detexi . De fundatoribus *Cœnobii Oberndorf* , inferius agetur , ubi de Heunburgiorum stirpe prolixius tractabitur . Denique quæ *de Starchando & Werigando* , filiis Rappatoni Ortenburgii , Engelberti nepotibus , exhibit LAZIUS , inter somnia relego . Alia omnia de hac stirpe , antiquis documentis constabilita , prodidere viri doctissimi MARCUS HANSIZIUS (h) BERNHARDUS MARIA de RUBEIS (i) & CHRISTOPHORUS PESLERUS (k) e quibus om-

ni-

(h) *M. Hansizii Germaniae sacræ Tom. II. pag. 126. 127.*(i) *Rubeis Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis pag. 555. &c.*(k) *Pesler series Ducum Carinthiæ pag. 54. & seqq.*

nino diversum Genealogicum Schema Sponheimensium  
in Carinthia Comitum de Ortenburg, & Valle Lavanda,  
isthic repræsentamus, in quo nulla est *Starchandi* men-  
tio, quodque nobis deinde usui erit.

*Engelbertus Sponheimensis ;*  
*Comes de Valle Lavanda*

|   |  |  |
|---|--|--|
| <i>Henricus</i> fit Dux<br>Carinthiæ circa 1128<br>† 1130.  | <i>Engelbertus</i><br>Dux Carinthiæ<br>post fratrem.<br>† 1142.                                    | <i>Bernhardus</i><br>Comes Carinthiæ<br>† in Palæstina<br>1147.<br>Uxor <i>Kunigund</i> ,<br>Ottocari IV. Styr.<br>March. filia. |
| <i>Ulricus I.</i><br>Dux Carinthiæ<br>memoratur 1135.<br>1138. 1143. 1153.  | <i>Henricus</i><br>Dux Carinthiæ<br>1143. 1154.<br>† 1161.   | <i>Hermannus</i><br>Dux Carinthiæ me-<br>moratur post fratres<br>1161. † 1182.   |
| <i>Ulricus II.</i><br>Dux Carinthiæ<br>ab An. 1182. † circa 1192.   | <i>Bernhardus</i><br>Dux Carinthiæ † 1256.<br>Uxor <i>Genta Primizlai</i> Bohem.<br>R. filia.      |  |
| <i>Ulricus III.</i> Dux<br>† circa 1269.<br>Uxor I. <i>Agnes Merania</i><br>II. <i>Agnes Austriaco-Badensis</i> , deinde Ulrico Heunburgio nupta. | <i>Philippus Patriarcha</i><br>Aquil. Praesul Salisburg. &<br>Dux † 1279. postremus hujus stirpis. | <i>Bernhardus</i>  |
| Filius & Filia, ex priore suscepiti<br>Uxore, ante patrem obiere.   |  |  |

Palam est , in hac Sponheimensium serie neminem se offerre , qui *Sounneckiorum* aut *Starchandorum* seu *Heunburgensium* stirpis auctor esse videatur. Alia itaque nobis excutienda erat quercus , quæque in LAZII scriptis frustra quærebamus , ea putamus nos in supra laudato Henrici Ducis Carinthiæ Diplomate invenisse , conferendo ac discutiendo ea , quæ Cl. M. Hanszius S. I. & Joan. Georgius Eccardus de Carinthiæ Marchionibus prodidere. Fontes ipsos adivimus , atque inde hausimus id sistema stirpis *Sounneckiorum* , & *Heunburgiorum* , quod Specimine I. Genealogiæ Comitum Celejanorum & *Heunburgiorum* , exhibemus. In hoc itaque contendimus : *Sounneckios* sanguinem derivare a *Wilhelmo* , cognomento *magnō* , Comite de Wimmar seu Weinmar , olim Sæculo XI. in Turingia , latius sumpta , admodum celebri. Altius hanc stirpem repetere nolui ; tametsi ECCARDUS (a) probabili ratione ostenderit : Veteres Wimmarienses Comites derivari posse a Poppone Comite , a quo & Babenbergenses , postea Austricæ Marchiones , descendere , idem ECCARDUS contendit hac serie constituta :

(1) Joan. Georgii Eccardi historia genealogica Principum Saxonice superioris præfationis pag. 23. & seqq. item pag. 237. &c. ad 247. operis.

Poppo Comes 825. 839.

|   |  |
|---|--|
| <i>Henricus Dux Francicus<br/>Turingorum &amp; Saxonum † 886.</i> | <i>Poppo Dux Turingorum<br/>depositus An. 892.</i>                                 |
| <i>Adelbertus Comes capite plexus<br/>An. 905.</i>                | <i>Poppo Comes † 945.</i>  |
| <i>Bertholdus Comes</i>   | <i>Wilhelmus Comes in Turin-<br/>gia 952. † 963.</i>                               |
| <i>Adalbertus Comes de Mertala<br/>† 954.</i>                     | <i>Wilhelmus Comes Poppo<br/>Wimmariensis. Ottonis<br/>magni Ca-<br/>pellanus.</i> |
| <i>Leopoldus I. Marchio Austriæ<br/>† 994.</i>                    |  |

Ab hoc itaque *Wilhelmo Wimmariensi*, ejusque certa posteritate ordiemur, atque secundum *Speciminis I. Genealogiae* ordinem, deducere conabimur *Souneckiorum* stirpem, testimoniiis ad Alphabeti Græci characteres, in *Specimine I.* signatos, adstitutis.

(a) DITMARUS Lib. V. pag. 368. Leibnizii script. Brunsvic; Tom. I. ubi de recens constituto Rege Henrico II. agens, nempe Anno MII. ita scribit „Ibi (in „Turingia) Wilhelmus Turingiorum tunc POTENTISSIMUS „obviam pergens (Henrico Regi) dominumque venien- „tem

# S P E C I M E N I.

## PAG. 10.

# GENEALOGIAE

# SOUNEKIORUM COMITUM CELEJÆ,

# ET

# HEUNBURGIORUM.

---

*Wilhelmus comes de Wimmar circa 1002., præpotens in Turingia (α)  
Princeps, seu præcipius Turingorum (ε) item Magnus appellatus est. (γ)  
obiiit circa 1034. (δ) Uxor prior N.  
Uxor II. Oda, vidua nupsit Dedoni III. Turingiae orientalis comiti vel marchioni (δ) (ε)*

I.  
*Wilhelmus, marchio fit Turingiae meridionalis 1046. (ε) Sponsam Sophiam Belæ I. filiam in Hungaria deligit 1061. (ζ) Redux in Turingiam obit 1062. (η)*

Oda Ecberti Junioris  
march. de Brunsvic uxor. (ε)

2.  
*Otto de Orlamunde,  
marchio post fratrem (ε) (θ) + 1067. (ι)  
Uxor Adela seu Athela  
Lamberti com. Lovaniensis filia: Vidua  
nupsit Dedoni III. suæ focius marito. (ι)*

Cunigund, Russorum  
regi nupsit.

*Poppo, comes de Wimmar (ε) (θ)  
Adelheid, uxor  
Adelberti com. de Ballenstide.*

*Florebant hac ætate in  
Turingia aquilonari duo  
Wimmariensium consanguinei: Wilhelmus  
marchio, qui obiit 1056.  
Et frater ejus Otto seu  
Udo qui obiit 1057. (λ)  
Otto II. marchio.  
Wilhelmus II. marchio  
1061.*

*Odalricus seu Ulricus I. marchio Carinthiae (θ) & (μ)  
obiit 1070. (μ)*

*Uxor Sophia, Belæ I. Regis Hungariae filia, antea patrui  
Wilhelmi Sponsa (ζ) (η) (θ) circa 1063. nupta.  
Vidua post 1070. nupsit Magno, Ordulfi Saxoniae ducis,  
filio. (ν)*

*Wilhelmus I. de Huninburch  
1096. 1102. vel 1103. (φ)*

*Poppo marchio (ε) cognomine Starrant 1095.  
circiter. (θ) & 1102. vel  
1103. marchio de Soune (η)  
uxor N.*

*Ulricus II. Junior,  
comes. 1095. (θ)  
1102. (η) + 1112. (ε)  
Uxor Adelheid Ludovici  
com. Turingiae filia. (σ)*

*Werigandus comes  
1095. (θ)  
1106. (η)*

*Wilhelmus II. comes & Udalricus I.  
de Hunnburgh.  
1141. 1149. (κ)*

*Filia N. Berchtoldo comiti  
de Boyen nupta (ξ)*

*Berchta Friderico seniori  
advocato Ratisponensi data.*

*Udalricus II. comes de Huninburch 1151. 1168. (ψ)*

*Starrant junior  
Gehardus de Suneck*

*1160. (ν)  
1173. (ν)*

*Gero comes de  
Heunburch.  
1192. (η)*

*Wilhelmus III. comes de Hunenburch 1191. 1192.  
1214. 1215. 1239. 1241. + 1248. (η)  
Uxor Kunigund, filia Liutoldi de Gutenberg, &  
Elisabethæ, circa 1214. (η)  
Uxor forte altera N. -- filia Mainhardi de Kainach.  
Sponsa III. filia Popponis de Pekkach. (η)*

*Vide Specimen II. Genealog.*

*Udalricus III. comes de Heunenburch - 1256. - - - 1303. 1306. (η)  
Obiit circa 1308. (η)  
Uxor Agnes Hermanni Badensis, & Gertrudis Austriacæ filia, nata 1251.  
nupta primum Ulrico duci Carinthiae 1263. Nupta secundo Udalrico Heunburgio 1270. obiit 1294. vel 1295. sepulta  
Vindobonæ apud Minoritas (ηη)*

*Fridericus 1298. - - - 1316. (ηη) (θθ)  
Uxor I. Adelheid - - - 1312.  
Uxor II. Elisabetha, Friderici de  
Aufenstein filia forte. (ηη)*

*Hermannus. 1308. (ηη)  
Sponsa Elisabetha Alberti III.  
Comitis Goritiæ filia 1303.  
Eadem uxor 1310. 1317.  
Vidua nupsit Wilhelmo comiti de Schaumburg circa  
1324. (ηη)*

*Margaretha.  
Maritus Ulricus  
comes de Pfannberg. 1288.  
1303. (ηη)*

*N. - - - filia, 1283.  
Sponsa destinata  
Alberto III. comiti  
Goritiæ, sed non  
nupta. (ηη)*

*N. - - - (ηη)  
Maritus Ulricus  
liber de Seunekke  
1302. Eum vide  
in Specimine II.  
Genealogice.*

,, tem cum magna gratulatione suscipiens miles Regis  
,, efficitur.)

(e) ADELBOLDUS TRAJECTENSIS *in vita Henrici Sancti* §.  
*II. Leibnizii Tomo I. pag. 433.* , , Rex igitur (*Henricus II.*)  
,, non multis diebus in Francia moratus in Turingiam  
,, ivit. Ibi absque mora Guilhelmus Princeps Turin-  
,, gorum cum cæteris occurrens , Regis efficitur. ) nem-  
pe miles, seu fidelis.

(r) ANNALISTA SAXO *ad Annum MLVI. Tom. II. corp.*  
*histor. Eccardi pag. 487.* de hoc Wilhelmo ita scribit :  
,, Willehelmo & Ottoni , filiis illius magni Willehelmi  
,, de Wimmare.

(s) Non possum de Anno mortis *Wilhelmi de Wim-*  
*mare* assentiri doctissimo ECCARDO , qui hanc mortem  
Wilhelmi I. collocat Anno MIII. idcirco , quod in *Necrologio Fuldenſi* legatur : *Anno M III. Wilhelmus Comes*  
*XIX. Kal. Januarii.* Enim vero nihil hic certi habetur,  
hunc potius *Wilhelmum Comitem* , quam alium ejus no-  
minis , et si nobis ignotum , intelligendum esse. Ob-  
stat autem huic sententiæ , quod ECCARDUS ipse afferit ,  
Wilhelmi hujus Viduam , nempe Ottonis Orlamundani

matrem ( quod mox comprobabimus ) post Annū de-  
 dum MXXXIV nupsisse Dedoni III. Turingie orienta-  
 lis Marchioni , vel Comiti. Diserta sunt verba *Annalium*  
*Hildesheimensium* , *Leibnizii script. Brunsvic. Tom. I. pag.*  
*227. ad Annū MXXXIV.* „ Eodem Anno Thiederi-  
 „ eus Comes Orientalium ( *Turingorum, Dedo II.* ) a  
 „ militibus Eggihardi ( *Eccardi II.* ) Marchionis in pro-  
 „ prio cubiculo facta salutatione circumventus , in do-  
 „ lo XIII. Cal. Decembris occiditur. Cujus dignitatem  
 „ honoris Dedi ( *Dedo III.* ) filius ejus obtinuit , qui  
 „ POSTEA Odam , Willihelmi Turingorum prætoris  
 „ viduam , in conjugium ascivit . )

Quod si Wilhelmus Anno MIII. deceperisset , quis  
 credit : Odam , ejus viduam , quæ ex Wilhelmo sal-  
 tem Ottonem , si non etiam Popponem , & Kribonem  
 suscepit , post annos demum triginta vidui status , a De-  
 done III. Marchione in conjugium primum ascitam fuis-  
 se , atque eidem ( quod de Oda constat ) Dedonem IV.  
 filium , & Adelhaidem filiam peperisse , postea quam ipsa  
 Oda annum ætatis , ut minimum quadragesimum sex-  
 tum attigisset , & triginta saltē annis uterum ferre de-  
 sisset. Hæc temporum ordinisque naturæ ratio , ac  
 Principum in accipiendis viduis mos , cum perspicuo  
*Annalium Hildesheimensium* testimonio , facile me eo per-  
 pulerunt , ut magni Wilhelmi obitum circa Annū

XXXIV.

MXXXIV. contigisse crederem. Existimo autem Odam, senis Wilhelmi Juvenem uxorem, secundo, vel postremo conjugio fuisse, ex qua Otto certe quidem est natus, non item Wilhelmus II. quippe eadem Oda non nisi mater Ottonis de Orlagemunde appellatur, ut inferius videbimus.

(e) De filiis *Wilhelmi Magni* saltem tribus, *Wilhelmo*, *Ottone*, *Poppone*, deque consanguineis eorum, qui, eodem Wilhelmi, & Ottonis nomine in Turingia tum floruere, praeclare scripsit ANNALISTA SAXO pag. 479. *Eccardi Tom. II. Corp. hift.* „Anno Dom. Incarn. **XLVI.** „Rex Heinricus natale Domini Goslariæ celebravit. „Ekkihardus (*Eccardus II.*) Marchio subitanea morte „præfocatus interiit, & Willehelmus Marchiam illius „(*meridionalis Turingiae*) aquisivit. Hujus pater fuit „Willehelmus Comes de Wimmare, venerabilis se- „nex... Huic Willehelmo Comiti erant tres filii, „hic, de quo loquimur, Willehelmus Marchio, *Ot-* „*to*, & *Poppo*. Willehelmus etiam Marchio aqui- „lonalis (*Turingiae*) & frater suus *Otto*, ab hoc Wil- „lehelmo (*meridionali*) & fratre ejus *Ottone* denomi- „nati, proxima eis consanguinitatis linea jungebantur. „Supradicto autem Comite Willehelmo (*mago*) de- „functo, uxor ejus *Oda* nupsit *Dedoni Marchioni*) Vide etiam *notam* (e)

(?) ANNALISTA SAXO pag. 492. ad Annum MLXI.  
 „ Henricus Rex Willehelmu[m] Marchionem , filium  
 „ Willehelmo de Winmare , & Eponem Cicensem Epi-  
 „ scopum , cum Duce Boëmiorum , & exercitu Bava-  
 „ rico misit in Ungariam , ad ferendum auxilium Regi  
 „ Andreæ.) Deinde Wilhelmum Juniores a Bela , An-  
 „ dreæ Regis æmulo , post victoriam captum fuisse , at  
 „ ob virtutem in pretio habitum , eique Sophiam , Belæ  
 „ filiam , despensatam fuisse , perhibet LAMBERTUS SCHAF-  
 „ NABURGENSIS , ad an. 1061. Pistorii Tom. I. pag. 166.

(?) Pergit ANNALISTA SAXO ad An. MLXII. „ Wil-  
 „ lehelmus Marchio reversus in Turingiam , dum re-  
 „ dire in Ungariam , & sponsam suam cum magna  
 „ opum suarum ostentatione abducere pararet , inter eun-  
 „ dum secunda mansione morbo correptus obiit.)

(?) Idem continuat ita : „ Sponsam ejus (Wille-  
 „ helmi) Sophiam Odalricus Marhio Carentinorum ,  
 „ cognatus ejus (fratris filius) accepit. Marcham ve-  
 „ ro (meridionalis Turingie) frater ejus Otto de Or-  
 „ lagemunde obtinuit. Horum scilicet Willehelmi &  
 „ Ottonis Marchionum frater fuit Poppe , qui habuit  
 „ filium Odalricum , qui sororem Ladislai Regis Un-  
 „ gariæ Sophiam (Bela filiam) duxit uxorem , quæ ge-  
 „ nuit

„ nūit ei Juniorem Odelricum , qui accepit filiam Ludovici Comitis de Turingia.)

(i) Transeamus a Wilehelmo ad fratrem Ottonem de Orlamunde , cuius mortem LAMBERTUS SCHAFNAB. pag. 176. Anno MLXVII. accidisse testatur. De Oda ejus matre , præter antea prolata , ita *Appendix ad Chronicon montis seren. apud ECCARDUM origin. Saxon.* pag. 63 . „ Et duxit ( *Dedo III. Marchio* ) uxorem Odam , matrem Ottonis Marchionis de Orlamunde.) Et mox ibidem : Defuncto vero Ottone Marchione , & mater tre ipsius Oda , prædictus Dedo Marchio viduam ejus ( Ottonis privigni sui ) Adelam duxit uxorem , hæc fuit nata de Brabantia , ex Castello , quod dicuntur Lovene , erantque fratres ejus Henricus Comes , & Reiherus.)

Similia ANNALISTA SAX. ad An. MLXX. qui Ottonis Orlamundani uxorem , dein Dedoni nuptam , Athelam appellat.

(ii) Ottonis ex Adela filias tres , cum suis maritis ex Annalista MSto. eruit ECCARDUS Origin. Saxon. pag. 243. Nos hæc præterimus , quæ ad nostrum finem minus faciunt,

( $\lambda$ ) Fratribus Wimmariensibus *Wilhelmo*, *Ottoni*, & *Popponi* ( quorum duo priores Marchiæ meridionali præfuerere) synchroni fuere alii duo fratres ( vide notam ( $\epsilon$ ) in Turingia septentrionali, *Wilhelmus* Marchio, qui decessit An. 1056, & frater ejus *Otto*, qui multa monvens obiit 1057, deinde *Udo II.* marcham obtinuit, ac post eum Anno 1061. *Wilhelmus*. Hæc ne longior sim, testimoniiis non comprobo, sed ad notas PFEFFINGERI in *Vitriarium Tomo II.* pag. 242. &c. Lectorem remitto. Istos enim ea solum causa commemoro, ne cum *Wilhelmis* & *Ottone* Wimmariensibus confundantur.

( $\mu$ ) Devenimus ad *Udalricum I.* *Popponis* filium, *Wilhelmi magni* nepotem, qui Carinthiorum marchiam aliquam obtinuit, uti supra nota ( $\epsilon$ ) ex *Annalista Saxone* ostendimus, ejusdemque uxorem *Sophiam*, & filium *Udalricum II.* seu *Juniorem* fuisse indidem deduximus. Mortem *Udalrici* hujus, Marchionis Carinthiæ, Anno 1070. *ANNALISTA SAXO* memorat, cujus verba nota sequente dabimus. Consentit *LAMBERTUS SCMAFNAB.* pag. 179. ad An. 1070. *Pistorii Tom. I.*, *Udalricus* „ *Marchio Carentinorum* obiit.) Hunc ego *Udalricum I.* *Sounekiorum*, dein *Celejæ Comitum*, auctorem credo, qui filio suo *Starchando*, haud dubie primo-genito, & *Popponis* nomine alio appellato, castrum Sounek

nek inter alia dedit , eumque in *Marchionis* dignatione successorem habuit. Id antequam probem , de Udalrici I. vidua aliquid dicendum.

(\*) Sophiam viduam post An. 1070. in manus convenisse Magno , Ordulfi , Saxoniæ Ducis , filio , ex ANNALISTA SAXONE discimus , qui ita ad Annum MLXX. scribit: „ Odalricus Marchio Carentinorum obiit , cuius „ viduam Sophiam , sororem Ladislai Regis Hunga- „ riæ , Magnus Ordulfi Saxonici Ducis filius accepit „ uxorem.

(\*) Udalrici Marchionis Carinthiorum filios quatuor invenio , vel certe tres : ac diserte quidem , ut filios hujus Udalrici , duos tantum : *Popponem & Udalricum II.* ; *Werigandum* vero , ut fratrem *Udalrici II.* , & *Rudolfum* , ut Werigandi fratrem , sed hunc non absque dubio . *Popponem* discimus ex ANONYMO de Guelphis apud Eccardum Origin. Saxon. pag. 245. „ Erat tan- „ dem eadem Sophia (Bela filia , uxor Magni Saxon- „ nis altero matrimonio ) antea cuidam de Carinthia „ (Utrico I.) copulata ex qua genuit Popponem MAR- „ CHIONEM , qui duas filias habuit , unam Berthol- „ do Comiti de Bogen copulavit , - - - aliam soro- „ rem ejus Berchtam , cuidam comes ex clauistro quo-

„ dam sanctimonialium abstractam duxit , & ex ea Fridericum Ratisbonensem advocationem genuit . ) De aliis prolibus hic scriptor tacet , Boica tantum spectans .

(\*) Hic quidem *Poppo* , *Marchio* præcise appellatur ; at quoniam ejus pater , *Carentanorum Marchio* fuit , haud dubie filius quoque in *Carinthia* Marcham obtinuit . Quæ res ipsa *Popponem* Udalrici primogenitum fuisse arguit , eo magis ; quod ceterorum Udalrici I. filiorum nemo *Marchionis* titulo insignis legatur , uti deinceps videbimus . Hunc *Popponem* existimo omnino eundem esse , qui cognomine *Starchand* etiam appellari hoc tempore solebat .

Enim vero ex ANNALISTA SAXONE ( nota (§) citato ) constat : Udalrici I. & Sophiæ filium etiam fuisse *Udalricum II. Juniores* dictum ; fuit is ergo *Popponis Marchionis* frater . Deinde *Udalricum Comitem in Carinthia* circa An. 1095 . (\*) nobis slistit *Auctor vita S. Thiemo-nis Salisburgensis Archiep. Henrici Canisii Tomo IV. pag. 675. Edit. Ingolstad.* his verbis : „ Non multo post , „ cum per Thaurum montem in Carinthiam iter lege- „ ret ( *Thiemo* ) ecce UDALRICUS Comes , partium „ Cæ-

(\*) Anno 1095. ista competere ostendit M. Hansius S. J. German. Sacrae Tomo II. pag. 192. &c.)

„ Cæsar is ( *Henrici IV.* ) dum vult malam virtutem sæ-  
 „ cula futura narrare , ausus est manum sacrilegam  
 „ mittere in Christum Domini , & in ipso monte nil  
 „ minus suspicantem dominum suum cepit . Nullum  
 „ genus ærumnarum , quod tempore , quod miserum  
 „ esset , in ea captivitate per quinquennium exper-  
 „ tus non est .

Ibidem paulo post ita habetur : „ *Dixitque ( Thie-  
 mo captus , & ad Frisacum obseßum adductus ) ob-  
 sidionis Principibus , UDALRICO scilicet COMITI ,  
 cum Germanis suis duobus .* ) Duos Udalrici Comitis  
 Germanos nobis aperit alter *Auctor vitae Conradi Salis-  
 burgensis ( qui S. Thiemoni successit ) Bern. Pez Thesauri  
 anecdot. Tom. II. part. III. pag. 231. )*

„ *Taurum mon-  
 tem transivit ( Thiemo ) ibique a quibusdam Principi-  
 bus captus , MARCHIONE videlicet (\*) STAR-  
 CHARDO , & fratre ejus Werigando , nec non &  
 „ Comite de Celsach Poppone .* ) Habemus ita tres fra-  
 res supra memoratos , sed ibi nomine non declaratos ,  
 præter unum *Udalricum* : hic vero reliquos duos *Starchar-  
 dum seu Starchandum Marchionem , & Werigandum .*

Cur vero scriptorum istorum alter *Starchandum*,

C 2

alter

(\*) In edito apographo legitur ita : *Marchione videlicet ,  
 & Starchardo , sed Tò ET redundant.*

alter *Udalricum* isthic præcipue nominaverit, id esse causæ puto; quod alter ad primum ætate, ac dignatione: alter ad præcipuum capti, & male habitæ Thiemonis auctorem *Udalricum* respexerit. Confirmo hæc omnia, & simul ostendo, non fuisse *Udalricum* cognominatum *Starchandum*, neque Popponem Comitem de Celsach, esse Popponem, Udalrici fratrem, ex Diplomate supra laudato. Legitur nempe in Codice diplomatico. Epistolari Bern. Pezii, P. I. pag. 283. &c. Charta donationis plurium bonorum, factæ celeberrimo Benedictinorum Coenobio ad S. Lambertum, in superiori Styria, olim parte Carinthiæ, ab Henrico Duce Carinthiæ. Testes ita subscripti sunt. „ Confirma est autem hæc traditio subscriptorum testimonia testium, qui sunt: Udalschalch Comes, Walt Comes de Riuna, Chunrad, filius Udalschalci Comes, Wilihalm de Huninpurch, & STARCHAND MARCHIO DE SOUNE, ET FRATER EJUS UDALRICH, Rutprecht de Dietrichstein, Liupolt, Huntheri, Gerhoch de Trevesse, POPPO DE SEDELSACH. - - - ) Scripta est hæc notitia Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo CIII. Indictione X. VII. Idus Januarii.) Aut Indictione XI. poni debuit, aut Annus CII. cum Indictione X.

Videmus hic *Marchionem Starchand*, *Udalrici fratrem*, quem

quem *Udalricum* etiam *Auctor* *vitæ Thiemonis* non nisi *Comitem* appellavit. Itaque *Poppone* *Udalrici* fratrem, *Starchandum* appellatum fuisse fere certum est; cum certum sit, *Poppone* & *Udalrici* fratrem fuisse, & *Marchionem* appellatum esse, uti nota (o) asseruimus. Deinde *Poppone* de *Sedelsach*, seu *Selsach*, alium longe esse patet a *Poppone* fratre *Udalrici*, alioqui in Diplomate cum eodem conjunctus, aut *Udalrici* frater notatus, & cum eodem altiore loco conjunctus fuisset.

(o) Denique hac in charta *Poppo* (cognomine *Starchand*) scribitur *Marchio de Sounec*, quod sane aliud non est, quam *de Sounec*; neque enim novum est, terminationes vocum, curtatas interdum, præsertim in recensendis testibus, & integras non raro voces, secundum vitiosam aut decurtatam enunciandi rationem scriptas fuisse. Itaque ab hoc *Poppone*, dicto *Starchando*, *Udalrici* I. filio, *Popponis* Nepote, *Wilhelmi* magni *Wimmariensis* abnepote, *Sounekiorum* in *Carinthia* stirpem arcessendam puto.

*Udalricum II.* porro *Juniorem*, & *Comitem*, *Starchandi* fratrem, atque *Udalricum I.* *Marchionem*, horum certum patrem, confundi nolim cum hujus ætatis *Udalricis* duobus, patre *Marchione Istriæ*, & filio *Udalrico*; tametsi marcha *Istriæ* *Carinthiæ* Ducatui obnoxia item fuerit. De his *Udalricis* *Istrianis* quædam

documentorum fragmenta produxit R. P. RUBEIS monum:  
*Aquil. pag. 535. & 536.* quorum anni vitiose, aut dubie sunt assignati ; attamen inde colligitur : Udalricum Istriae marchionem fuisse intra annos 1062. & 1073. Id ego porro confirmo ex Diplomate Henrici IV. Cæsaris, relato *apud R. P. Meichelbeck, histor. Frising. Tom. I. Parte I. pag. 261.* ubi ita legitur „In pago „Istria, in marcha Udalrici Marchionis - - - Datum „Anno Incarnat. MLXVII.) Eodem plane tempore Udalricus I. Wimmariensis *Marchio Carentinorum* fuit, atque utriusque Udalrico, Marchioni nempe Carinthiæ, & Istriae, filius Udalricus attribuitur. Attamen Udalricos, Istriae præfectos, ab illis diversos fuisse, qui sanctum Thiemonem cepere, duo comprobant : pri-  
mum, quod Istriae Marchioni nihil ad Taurum mon-  
tem negotii esse poterat, neque ulli Udalrico Istriano  
fratres fuisse constet : Deinde Istriae Marchiones post  
Annum 1073. fuisse constat Eppensteinios, Marquardum, ac filium ejus Liutoldum & fratrem hujus Hen-  
ricum, antequam Duces Carinthiæ fierent : post hos ad Engelbertum Marcha Istriae translata videtur, qui eo  
titulo comparet An. 1112, ac deinceps. Úbi no-  
ster *Marchio Starchand* Anno 1102. interea exhibetur.

Accedit : Marchionibus Istriae vocabulum *Istria*  
adscribi consueville, quod neque *Udalrico I. Wimma-*  
*rien-*

riensi, neque Starchando Marchioni uspiam ad titulum  
Marchionis adstitutum invenitur.

(e) Udalricus II., naturæ debitum persolvit Anno 1112, quod ANNALISTA SAXO ad hunc annum perhibuit, ita : „ Moritur eo tempore quidam de Saxonie „ Principibus Udalricus de Wimmar, Ludovici comiti „ de Turingia dudum gener, sed jam propter ejus „ filiae repudium invisus, cuius possessiones prædictus „ Palatinus comes Sigefridus hereditaria sibi vindica- „ bat successione : sed Dominus Imperator eadem in „ Jus Regni conabatur attrahere.) His docemur: Imo. Udalricum II. bona avita in Turingia (nisi & per nup- tias id obtigit) in partitione inter fratres, ab Udalrico I. patre facta, nactum fuisse; cum patris Marchiona- tum & fundos in Carinthia Poppo accepisset. Illo. Udalricum II. sine prole, saltem mascula, obiisse Anno 1112.

(f) Ex memorato ANNALISTÆ SAX. loco constat Illtio: Udalrici II. Conjugem (sed sterilem, & fors ideo repudiatam) fuisse filiam Ludovici comitis in Turin- gia. Nomen ejus Adelheidis produnt Annales breves de Landgraviis Turingie, editi (post PISTORIUM) a JOAN. GEORG. ECCARDO origin. Saxon. pag. 345. &c. ubi pag.

347. de filiabus Ludovici Comitis Turingiae & Adelheidis ita scribit: „ Tertia filia Adelheidis Udalrico Co-  
„ miti de Wymar matrimonialiter conjuncta.

(r) *Werigandum*, ut Starchandi & Udalrici II. fratrem, circa annum 1095. S. Thiemoni infestum nota  
(o) exhibuimus; idem in chartis vetustis *Weriandus* scribitur. In literis Udalrici Patriarchæ Aquilejensis, queis hic Doberndorfenses seu Eberndorfenses Canonicos fundat, vel auget ex bonis Cazellini Comitis, Anno 1106, primus testium *Weriandus* notatur. Hanc chartam integrā ex MStis Puschianis dabimus alibi. Porro in Codice diplomatis: Admontensi Thesauri anecdote, Bern. Pez, Tomo III. P. III. N. XI. pag. 685. in charta Conradi Archiepiscopi Salisburgensis, Admontensibus olim donata confirmantis Anno 1139. ista leguntur: „ Prædium „ illud ad Radella scilicet mansus, quos nobis Weriandus „ Comes pro scelere, quod in Venerabilem Thyemo- „ nem Archiepiscopum commiserat, tradidit. ) Et paullo inferius in eodem documento ita habetur: „ Præ- „ dium illud apud Jeringen inferius, cum Ecclesia & „ omnibus attinentiis, quod nobis Rudolphus de Wit- „ tenwalt frater Weriandi tradiderat. ) Nolim vadi- monium præstare, hunc *Weriandum*, fratrem Rudolfi de Wittenwalt, eundem esse cum *Weriando Comite*, fratre Starchandi, & Udalrici. Nam in hac eadem char-

charta variæ variorum donationes a Cunrado confirmantur. Deinde prior Werianus (etiam in alia charta N. XX.) ubi præterea *Werianus Ascuni filius testis legitur*, *Comes compellatur*: alter non item, neque alibi, nisi nobiles vocantur *Rudolfus & Werianus de Wittenwalt*. Denique in eodem Codice diplom. Admontensi N. XXXIII. pag. 697. memoratur *Werianus de Wittenwalt*, fratre defuncto Rudolfo, cessisse omni prætensione in prædium inferius Jeringen; id factum scribitur præsente *Ulrico Duce Carinthie*, qui etiam vivente Patre Engelberto, non ante Annum 1135. cum *Ducis* titulo legitur. At *Comes Werigandus noster, Udalrici I.* Anno 1070. demortui filius, vix attigisse videtur Annum 1135. præcipue si ea perpendamus, quæ de S. Thiemonis captoribus & *Chronographus Reicherspergensis*, apud *Ludewig. scriptor. Bamberg. Parte II. & Auctor vita Conradi adnotarunt. Prior ita habet de persecutoribus S. Thiemonis: „Ex eo tempore in adversis sem-“ per decrescebant, & ut hodie quoque perspicuum „est, Judicio DEI non dimidiant dies suos; nec ali-“ quis fere de posteritate.*

Quod si ergo nec Werigandus Comes dimidiavit dies suos; vix credibile fit, eundem ab Anno 1095, quo scelus patravit, ad Annum usque 1135. aut ultra, ætatis saltem LXVI. prorogasse. Quare cum aliqui

*Weriandum nobilem de Wittenwalt diversum a nostro  
Werigando Comite esse posse ostenderim ; afferere non  
ausim : Rudolfum de Wittenwalt , ut Werigandi Co-  
mitis fratrem , Ulrici I. Marchionis Carinthiae filii ac-  
censendum esse.*

Claudat hanc disceptationem *Biographus Conradi Sa-  
lisburgensis* , qui posteaquam præcipuos duos S. Thie-  
monis captores *Starchandum Marchionem* , & fratrem  
ejus *Werigandum* nominasset , ita de eorundem castiga-  
tione , a DEO adhibita , loquitur : „ Postquam Ar-  
„ chiepiscopus ( S. Themo , Anno 1099. ) de hac  
„ captivitate liberatus est , ut cum DUO ILLI FRAT-  
„ RES ( *Starchandus & Werigandus* ) TOTA CARINT-  
„ HIA potentissima dominatione potirentur , nullius  
„ mortalis hominis contradictionem habentes , subito  
„ per comitem Bernhardum , qui cum paucissimis  
„ militibus Carinthiam intravit , funditus contriti sint ,  
„ & ad nihilum redacti , omni pristina potentia per-  
„ dita .

His rursum confirmantur ea , quæ de *Udalrico  
II. Comite* , fratribus tertio , diximus , qui fundos in Tu-  
ringia sibi a Patre adsignatos , potius quam in *Carint-  
hia* possederat , & Anno 1112. sine herede deceperat.

Quo

Quo vero anno Bernardus comes duos illos fratres ita graviter affixerit, certi nihil occurrit; suspicor tamen circa, vel ante Annum 1128. (quo Henricus Junior, Bernardi frater, ducatu Carinthiae potitus est) *Starchandi & Werigandi*, aut filiorum, depressionem a Bernardo Comite inchoatam fuisse. Illud certum est: Bernardum Comitem Anno 1147. in Palæstina vitam terminasse.

(v) Evidem *Starchandi Marchionis de Sounek* posteros de pristino splendore titulisque plurima amisisse, etiam ex eo colligo, quod deinceps *Sounekii* non nisi *Nobiles & Liberi*, sine titulo *Marchionis*, aut *Comitis* compareant, usque ad *Fridericum liberum de Sounek*, qui Ludovici Bavari Cæs. gratia, Anno 1341. *Comitis Imperii* titulum suæ stirpi restituit.

Illud optandum esset, ut proximos a *Starchando Sounekios* inveniamus. Mihi enim non nisi anno demum 1173. *Gerhardus Nobilis de Sounek* certo sese obtulit, qui *Starchandi* aut *Werigandi* Nepos fuisse videtur. Anno quidem 1160. inter testes, in charta *Codicis diplom. Admontensis N. XXVII.* pag. 709. Bern. Pez. Tom. III. P. III. legitur: *Starchant Junior*, qui tum jam sat proiectæ ætatis, filius *Starchandi Mar-*

chionis, & Pater *Gerhardi de Sunek* per ætatem esse poterat, eo probabilius, quod tò JUNIOR plerumque indicet: Patrem, aut decessorem eodem nomine fuisse; cum quod recens depresso afflictusque *Starchandi Marchionis* filius, omni honorum titulo abstinere aut voluerit, aut debuerit. Verumtamen perspicua hujus nexus *Starchandi* utriusque cum Sounekiiis testimonia, signaque certa cum desint, rem in medio relinquo, tametsi ambo *Starchandi in Carinthia* memorentur. Aliquid etiam probabilitatis huic Turingiae Sounekiorum origini addere videtur Sigillum Comitum Celejanorum, quale ipse vidi appensum diplomati, dato Anno 1455. ab Ulrico Comite, in quo præter tria scuta, infra medium scutum stat *Leo* (Turingiorum signum) tenens scutum quartum.

Ablatum a *Starchando*, aut ab ejus filio, *Marchionis Carinthiae* honorem comprobant sequentia. Anno MCXXVIII. VII. Kal. Novemb. decessit *Leopoldus Marchio Styrensis*, uti comprobat K. P. SIGISMUNDUS PUSCH S. I. in *Chronologie sacre Ducatus Styria Parte I.* pag. 303. ex *Necrologiis, & Chronicis*. Hujus haud dubie Leopoldi obitum, facili unius lineolæ omissione, ad Annum MCXXVIII. ita refert *Chronicon Australe*, *Freberi Tom. I.* pag. 444. ut: *Leopoldus Marchio Carentinorum* appelletur. ANONYMUS *Leob. Hier. Pez. Tom. I. ad An. 1025.*

plus

plura narrans de hoc , ut opinor , Leópolo Styrensi , ita habet , et si in anno , ut alias peccet : „ Leopoldus Marchio Karinthiorum obiit ) *Chronicon Claustro-Neoburg. Hier. Pez Tom. I. ad Annum MCXXVIII.* Linpoldus Marchio Karinthiorum obiit . ) Idem ad Annum MCXII. Ottokarum Ducem Karinthiae obiisse notat , qui Styrensis erat . Mortuo nempe circa An. MCXXVI , aut exauctorato Starchando Marchione , videtur Marca Carinthiae ( ea saltem parte , qua Hungariæ finitima erat , nempe Celejanus & Petoviensis ager , hodierne Styriæ inferæ portio ) Leopoldo commissa esse , qui alioqui Waldonis Comitis Riunæ , aliorumque fundis in inferiore Styria his temporibus ditatus fuit ; tametsi idem vetere *Marchionis Styrensis* titulo contentus , sese *Marchionem Carentinorum* , quod sciam , non scripsit .

Defuncto Leopoldo , in hereditario *Styrensi* Marchionatu filius Ottocarus V. successit ; sed cum is etiam tum puer esset , *Marca Carentinorum* , Hungariæ vicina , viro committi debuit . Is , ut opinor , fuit Guntherus de Hohenwarte , de quo ita *Chronicon Admontense Hieron. Pez , Tom. II. pag. 186.* „ Pro hujsmodi a Gunthero Marcione Cilie captus , & vinculatus est ) nempe Volvoldus Abbas Admontensis , circa 1137 . Idem Guntherus in *Codice diplom.*

*Admont. N. CII. pag. 775. vocatur Marchio Guntherus de Hohenwarte.)*

Post Guntherum, *Carentinorum* iste *Marchionatus* ad Ottocarum V. tota fere hodierna Styria jam potitus, citra dubium redierit; titulus vero *Marchionis Carinthiae* deinceps omissus, & a titulo *Marchionis Styrie* velut absorptus fuerit. Istriæ tamen Marchiones, ab his diversi, ulterius perdurarunt, quibus Marchionum Crayburgi titulus accessisse videtur. In hoc Marchionum Carinthiae systemate ratio reddi potest, cur Ottocarus VI. Marchio Styrensis, & postea Dux, sese appellet bis in eadem charta Anni 1179. *Marchionem de Styria tertium*, apud RETTENPACHER *Annal. Cremifan*: pag. 170. tametsi ejusdem abavus, ac atavus, Ottocari, Marchiones certe compellati elegantur. Nempe tertius e sua stirpe *Carentanus Marchio* fuit hic Ottocarus VI. post Ottocarum patrem, & Leopoldum avum; et si *Carinthia* vocabulum, more majorum suorum, omiserit.

(φ) Ad comprobandum *Speciminis I. Genealogici* seriem alteram (Celejæ enim *Comitum* stirpem ulteriorem *Specimini II. reservamus*) transeundum jam est a *Sounekiis ad Heunburgios*, quorum primum, certumque idem nobis

bis Henrici Ducis Carinthiæ diploma , de quo superius dictum , ad Annum MII , aut sequentem , suppeditat his verbis : *Wilhalm de Huninpurch , & Starchand Marchio de Sounē , & frater ejus Udalrich - - - )*

Norunt Diplomatū scrutatores , nomina testium non solere conjungi interposita particula ET , nisi nomina Patris , & Filii , aut Fratrum , aut si quis hisce nexus sit proximus ut Maritus , & Uxor &c. Isthic itaque , dum *Wilhelmus de Huninpurch* . ET *Starchand Marchio* , & *Udalricus Frater* conjunguntur , hæc ipsa res proximum sanguinis vinculum arguere videtur , coque magis , quo scuti gentilitii ( in quo tres aureæ stellæ visebantur cæruleo in campo apud Sounekios : sed in rubro apud Heunburgios ) similitudo accedat , atque emortua Heunburgiorum stirpe possessiones fere omnes ad Sounekios redierint.

*Wilhelμum* porro *Starchandi* fratrem dicere vix licet , cujus nulla usquam inter fratres mentio , & qui fratribus primus ætate si fuisset , uti in hoc Diplomate primus est ordine ; is profecto præ Starchando titulum *Marchionis* , aut certe *Comitis* præ se ferret. Quando ergo *Wilhelmus de Huninpurch* frater *Starchandi* & *Udalrici* dici nequit , iisdem tamen

per tò ET conjungitur , & utrique fratum , etiam *Marchioni* , præponitur : Patrum eorundem , Udalrici I. fratrem commodissime dicendum arbitror qui que defuncto Udalrico I. filiorum ejus ( qui tum infra decimum ætatis annum erant omnes ) tutorem egerit . Ideo ergo , velut alter Pater , *Wilhelmus* , Starchando & Ulrico arctissime connectitur , & utrique præponitur .

Mire id confirmat *Wilhelmi* ipsum nomen , collatum cum *Udalrico* patre , *Udalrico* fratre , *Wilhelmo* avo & propatruo : atque porro contendendo ista cum *Wilhelmi* nostri posteris *Heunburgiis* , quos non nisi *Wilhelmos* & *Udalricos* operis hujus decursu conspiciemus , usque ad postremos duos ex *Heunburgia* stirpe , *Friedericum* & *Hermannum* . *Wilhelnum* itaque de *Huinburg* , tot argumentorum probabilium consensione fretus , & Wimmariensi Carinthiacæ lineæ stirpe oriundum , & *Heunburgiorum* Comitum protopatrem statuo , donec certiora edocear .

Hunc *Wilhelnum* cum Chunrado inter testes in literis , nescio quibus , Henrici Ducis Carinthiæ , Anno MXCVI. inventum fuisse , perhibet *Lazius* ; (\*) sed illud

(\*) Lib. VI. de Migrat. Gent. pag. 181.

Illud, præter alia, refellit charta Henrici ducis posteriori tempore data, & a nobis relata: quod *Wilhelnum & Chunradum* fuisse *Comites*, & *Starchand* compellatos, affinxit LAZIUS. Idem denique *Wilhelnum & Chunradum* Fundatores cœnobii in Oberndorf fuisse asseverat, non adscripto anno. MEGISERUS in *Annalibus Carinthiæ*, hac de re a LAZIO, quem alias fere exscribit, dissentit, atque Ulricum ducem Carinthiæ Anno 1190. Oberndorfensium fundatorem nominat pag. 24. sed secum pugnat, & pag. 811. fundationem Oberndorfii ad Annum 1164. rescribit,

Illud unum asseverare possum: *Oberndorfii* (qui pagus, hodie *Eberndorf*, olim *Dobrndorf* appellatur, in Carinthia situs, non procul ab arce Sunek dicta) *Oberndorfii*, inquam, ante Annum 1106. Canonicos fuisse, sed nulla mentione regulæ S. Augustini; his Canonicis Anno 1106. ab Udalrico Patriarcha Aquilejensi traditum esse ipsum pagum *Dobrndorfum* Junensi Ecclesia, ex bonis comitis Cazelini, (in Istria is Comes erat) cuius corpus ibidem Patriarcha depositus. Ita apographum chartæ Udalrici Patriarchæ, datæ in Doberndorf Anno 1106. Indictione decima quarta: *Ex collectaneis MStis R. P. Sigism. Pusch Soc. J.* In alia charta Peregrini Patriarchæ, data 1154. Aqui-

lejæ , ab eodem Patriarcha instituuntur in Ecclesia Ju-  
nensi Canonici sub regula S.P. Augustini.

Ex his liquet : MEGISERUM utroque in anno errasse,  
de quacunque prima fundatione loquatur : LAZII vero  
sententiam de *Wilhelmo & Chunrado Heunburgiis*, Ober-  
dorffensium Canonicorum primis fundatoribus, specta-  
ta temporum ratione , veram esse posse.

(x) *Wilhelmi I. Heunburgii aut filii, aut nepo-*  
*tes, fuere, qui in diplomate Cunradi I. Archiep.*  
*Salisburgensis, dato Seccoviensi Canonicorum Colle-*  
*gio, Anno MCXLI, ita inter testes scribuntur. Wil-*  
*helmus de Hunneberch & frater ejus Udalricus. Extat*  
*in collectaneis MStis Puschianis. Vercor ne in Apogra-*  
*pho scriptum sit Hunneberch loco Hunnburch aut certe*  
*Hunenburch, qualiter scriptum habetur in accurato apo-*  
*grapho chartæ Gössensis, cuius infra fiet mentio. Po-*  
*stremum testes comparent: Wilhelmus comes, & fra-*  
*ter ejus Udalricus de Hunnenberch in charta, qua An.*  
*1149. Conratus III. Rex Seccoviensibus quædam Fri-*  
*faci confirmat; Extat inter Diplomata MSta Puschii,*  
*Seccoviensium N. VII. Inveneram quidem priores Wil-*  
*helmo I. nempe in charta, Runensi Cisterciensium*  
*cœnobio data, a Leopoldo Marchione Styriæ, le-*  
gun-

guntur testes , Anno MCXXVIII. *Fridericus* & filius ejus *Gotteschalcus de Hunnesperch*. Et item *Fridericus de Hunsperg* , vel *Hunisberg* in diplomate , Garstensibus Benedictinis a Cunrado II. Rege dato , occurrit Anno MCXLII. In *Seccoviensi charta* , apud Puschium N. XVII. Anno 1166. testes offendit ita scriptos : *Ebo* & *Otto de Heimburch* , sine titulo Comitum , & fere postremo testium loco. Sed omnes hos ego inter *Hunenburgios* vix recipiendos puto , & ob familiæ aliud vocabulum , & ob nomina *Heunburgiis* nondum usitata : *Friderici* , & *Gotteschalci* , *Ebonis* , & *Ottonis*.

(4) *Wilhelnum II. & Udalricum I.* proximus exceptit *Udalricus II.* quem primi filium , aut certe *Wilhelmi* , fuisse , nomen & ætas confirmant. *Udalricus* hic cum titulo *Comitis* legitur inter testes in literis Eberhardi I. Salisburgensis Anno 1151. Seccoviensium bono datis : *Testes* , *Udalricus comes de Hunnenberch* . . . *MSta Puschii diplomata Seccoviensia N. VIII.* item in charta Cunradi II. Salisburgensis præsulis , relata apud *R. P. Bern. Pez* , in *Codice Diplom. Admontensi* , *Thesauri anecdote. Tom. III. P. III. pag. 717.* ubi ita habetur : *Udalricus comes de Huninburch* - - - Datum Anno MCLXVIII.

(<sup>a</sup>) Udalrici II. citra dubium filius fuit *Wilhelmus III. comes*. In charta Seccoviensi (*Puschiana collectio-*  
*nis*) Ottocari I. ducis Styriæ, data Judenburgi Anno  
 1191. *Testes*: *Wilhalmus comes de Heynburch*. . . .  
 Fratrem Wilhelmi majorem natu ita prodit altera Sec-  
 coviensis charta, Anno 1192. a Leopoldo Virtuoso  
 duce Austr. & Styriæ data; *Testes*, *Gero & Wilhal-*  
*mus comites de Hunnenburch*. *Puschii Secccoviensia N.*  
*XXIV. & XXV.* Ipsum hunc Wilhelmum, & conjugem  
 ejus, nominatos inveni in literis gratiæ, a Leopol-  
 do Austræ & Styriæ duce, Parthenoni Gössensi,  
 datis Styræ MCCXIV. In his confirmatur donatio,  
 cui, *jam ante aliquot annos factæ a Liutoldo nobili de*  
*Guetenberg, & Elisabetha ejus conjugæ, tum consen-*  
*serant: Kunigundis, & Gertrudis prædicti Liutoldi &*  
*Elisabethæ filiæ, earumque mariti Wilhelmus comes de*  
*Hunenburch, & Herrandus de Wildonia.* ) Hoc docu-  
 mentum apographum extat in *collectaneis Puschianis*,  
 inter *Diplomata Gössensia Num. 17.*) Itaque jam antea  
 Udalricus Kunigundem duxerat circa 1210.

Lazius Lib. VI. de migrat. Gent. pag. 182. Wil-  
 helmi hujus ( forte alteram ) uxorem memorat N.  
 filiam Mainhardi de Kainach, Illud certum est ex Re-  
 pertorio Austriaco MSto P. III. folio 963. Wilhelmum  
 III. Anno 1241. sine uxore fuisse, quippe qui eodem  
 anno

anno cesserit sponsam suam , filiam Popponis de Pekkach , filio Hermani comitis de Ortenburg. Idem Willibalmus comes de Hunenburch , in Codice Diplom. Admontensi pag. 741. inter testes notatus est : atque in Repertorio Austriaco P. III. vivus memoratur annis MCCXXXIX. & MCCXL. Denique hunc Wilhelmum comitem de Heunburch obiisse MCCXLVIII. docemur e Chronico Salisburgensi Peziano Tom. I. script. Austr. pag. 360.

(aa) Ad Udalricum , seu Ulricum III. delabimur in Austriacarum terrarum historia satis celebrem. Hunc Wilhelmi filium diserte appellat HORNECKUS in Chronico rythmico pag. 37. Hier. Pez. Tom. III. ubi de Nuptiis Udalrici cum Agnete agit. Memoria istius Udalrici saepius in Repertorio Austriaco recurrit , ab Anno 1265. usque ad 1303. Postremum vivus occurrit apud P. STEYERER commentar : pro historia Alberti II. pag. 589. Ulricus de Heunburg comes , & Ulricus de Seunnekke : Anno 1306.

(cc) Quonam anno obierit Udalricus , certum non habeo. Id Anno 1308. vel precedente accidisse, non nisi probabiliter colligo ex predictis, & e synopsi documenti Gryffensis coenobii in Carinthia, quam legi in Fn-

dice, seu Repertorio MStorum R. P. Antonii Steyerer S. J.  
 Tom. III. pag. 910. Ubi „ Fridericus & Hermannus co-  
 „ mites de Hunenburch promittunt pro Patris sui comi-  
 „ tis Ulrici , & suarum animarum salute , se datus  
 „ Ecclesiae S. Mariae in Griffenthal centum marcas nu-  
 „ morum Frisacensium & quinque marcas humorum . )  
 Id quidem vivente Patre vovere poterant filii pro sa-  
 lute animae Patris , uti ipsi vovebant pro suismet ani-  
 mabus ; attamen cum nulla Patris donantis aut conser-  
 tientis mentio fiat , videtur is jam decessisse . Acce-  
 dit : in conventu principum , celebrato Villaci 1309.  
 de pace restituenda in Carinthia præcipue , ac Tyro-  
 li , solum ex Heunburgiis adfuisse Fridericum comi-  
 tem , Ulrici primogenitum . HORNECK in Chronico  
 pag. 529. &c. Sane Anno MCCCX. in eo Reperto-  
 rii Austriaci documento , quo comites Goritiæ cauent  
 de parte dotis Elisabethæ Goritiensis , nuptæ Herman-  
 no comiti de Heunburg , memorantur tantum Fride-  
 dericus , & Hermannus comites de Hunenburch , sine Ul-  
 rico Patre .

(rr) De Agneta , Udalrici uxore , Gertrudis Au-  
 striacæ , & Hermanni Badensis filia , ita docte omnia  
 eruit R. P. SIGISMUNDUS CALLES S. J. in Annalium Au-  
 striæ Tom. II. pag. 363. 425. 479. 575. & in Indice  
 I. Genealogico , ut paucis hæc repræsentare sufficiat.

Na-

Nata est Agnes ( PERNOLDO teste ) Anno MCCLI. Primum nupsit Ulrico duci Carinthiae Anno MCCLXIII, uti constat ex HORNEKI Chronico pag. 37. & ex Chronico Australi Freheri Tom. I. pag. 461. Ulrico Carinthiae duce Anno MCCLXVIII. demortuo, Agnes subinde (adigente Ottocaro Bohemiæ Rege, ut securius Austriam possideret) conjugium init cum Ulrico III. comite de Heunburg Anno MCCLXX. teste eodem Chronico Australi.

Agnetem, ante Ulricum maritum, decepsisse anno MCCXCV. die II. Januarii, docuit R. P. Antonius Steyerer in MSta dissertatione, ex literis Ulrici comitis de Heunenburch, queis Anno MCCXCV. pro anima Agnetis uxoris suæ erigi curavit duo altaria in Ecclesia B. V. Mariæ in Griffenthal. Evidem in Necrologio Minoritarum Viennensium legitur: Agnes comitissa de Heunburg obiit Anno MCCCXLV. sed in anni notas error irrepererit, ut loco MCCCXLV. scribendum fuerit MCCXCV; neque vero Agnetis viventis mentio post hunc Annum 1295. sese nobis obtulit. Correcto igitur anno, cetera Necrologii facile credimus: Agnetem Viennæ apud RR. PP. Minoritas sepultam fuisse.

(v) *Fridericum, & Hermannum Ulricii III. filios exhibuimus paulo ante, nota (ee). Fridericus in Repertorio Austriaco primum cum Patre 1298. occurrit, postremum solus 1316.*

(e) *Uxor Friderici Anno 1312. nominatur Adelheid tantum, in Repertorio Austriaco P. III. pag. 1007. Porro LAZIUS lib. VI. Migr. Gent. pag. 182. Friderico huic uxorem adscribit Elisabetham, Friderici comitis de Auffenstein filiam, eamque ut viduam occuruisse notat. Sed vereor ne Elisabetham, Hermanni conjugem certam, huc transtulerit LAZIUS; haec enim Elisabetha & vidua, & alteris nuptiis illigata fuisse, certis documentis perhibetur, uti mox videbimus.*

(ee) *Hermannum, alterum Ulrici III. & Agnetis filium, nota (ee) comprobavimus ex documentis annorum 1308. & 1310. Neque Hermanni neque fratris ejus Friderici definitum obitus annum comperi. LAZIUS eosdem, ut stirpis Heunburgicæ postremos, circa Annum 1320. floruisse memorat. Haud diu ultra Annum 1320. hos fratres vitam produxisse, existimo. Nam Anno 1323. Dominica ante purificationem, Elisabetha comitissa de Heunburg (Hermanni vidua) & comes Udalricus de Pfannberg (Margaretha Heunburgiæ*

giæ maritus , aut filius ) pignoris nomine obligant ar-  
cem Cili , cum oppido subiecto , Conrado de Auffen-  
stein mareschallo Carinthiæ. *Tabulas* istas memorat  
Puschius ex *Tabulario aulico Græcensi* , *Ladula* 44. N. 54.  
Quoniam hic de Celeja , ab heredibus Heunburgiorum  
jam oppignorata tractatur Anno 1323 , nulla *Friderici* aut  
*Hermannii* mentione ; ambos vita excessisse merito argui-  
mus. Heunburgiorum enim Celejanum agrum proprium ,  
saltem majore ex parte , fuisse , colligo ex alia charta  
*Repertorii Austriaci P. III. fol. 1005* , qua Ulricus co-  
mes de Heunburg , & Agnes ejus uxor , cedunt quæ-  
dam Jura sua ad varios fundos ( præter possessiones ad  
Cilii ) Alberto duci Austriæ: Anno MCCLXXXVII.

*Elisabetha* , Alberti III. comitis Goritiæ , & Elisa-  
bethæ Hassiacæ filia , *Hermannii* Heunburgici sponsa oc-  
currit Anno 1302. uxor vero 1310. Denique Anno  
1324. secundis *Elisabetha* jam nuptiis conjuncta legitur  
Wilhelmo comiti de Schaumburg. Hæc ex documen-  
tis *Tabularii Austriaci* comprobata sunt in *Tentamine*  
*Genealogico comitum Goritiæ* pag. 182. & pag. 185. &c.  
quod nostro ductu Illustriss. comes RUDOLFUS CORO-  
NINUS vulgaverat 1752. Hæc omnia , si conferantur  
cum postremis annis , queis in documentis leguntur  
duo fratres , nempe *Fridericus* Anno 1317. *Repert.*

*Austr. P. III. fol. 1007.* Inde facile conjectura fit,  
circa Annum 1321. Heunburgiorum stirpem masculam desisse.

(m) Filias *Ulrici III.* tres ( vel duas ) producam.  
Prima est *Margaretha*, comiti *Ulrico de Pfannberg* collocata, quæ ut ejusdem Uxor jam Anno 1288. nominatur in *Repertorio Austriaco P. III. folio 1005.* In charta *Ulrici comitis de Pfannberg* ( apud *Puschium Seccoviens. N. XVII.* ) qua is compensat damna, Seccoviensibus ab *Henrico* patre suo, piæ memoriae, illata, memoratur adjectio sigilli: *karissimi saceri nostri magnifici comitis de Heunburg.* . . . *Datum Anno 1288.* Eadem *Margaretha* occurrit 1303; genuit *Ulricum Juniorem* com. de Pfannberg, de quo inferius ex ANONYMO LEOBIENSI dicetur.



(n) Altera filia, cujus nomen me latet, Anno 1283, parvula, designata fuit sponsa *Alberto III. comiti Goritiæ.* Extant in *Tabulario Austriaco aulæ Græcensis* ( aut certe existitere, nam quædam Vindobonam nuper commigravere ) literæ ea de re conscriptæ X. Kalendas Martii MCCLXXXIII, quibus „*Nos Ulricus „ comes de Heunburg suis ( Alberti II. comitis Goritiæ ) desideriis satisfacere cupientes, suo filio Alber-*

„ to,

„ to , quem habet per nobilem dominam Euphemiam  
„ comitissam de Ortenburg , unam de filiabus nostris,  
„ quam maluerit , jurati promisimus dare in uxorem.)  
Attamen has nuptias non processisse, probabiliter ostenditur in *Tentamine Genealogico comitum Goritiæ pag. 181*, quia Anno 1299. Uxor Alberti III. com. Goritiæ jam producta est Elisabetha Hassiaca : tum quia in literis Ulrici com. de Heunburg , ubi tractat cum Goritiæ comitibus , de contrahendo matrimonio inter Hermannum Ulrici filium , & unam de filiabus Alberti III. idem Albertus III. ab Ulrico non appellatur gener , sed tantum *noster dilectus amicus nobilis comes de Goritia.*

(“) Eisdem tamen in literis , datis proxima die Martis ante S. Bartholomai Anno MCCCII. ab Ulrico Heunburgio *Ulricus Sunekius* compellatur ita : & noſter gener *Ulricus liber de Seuneke.* Verba harum literarum ex autographo germanico Cl. ROSENTHALIUS excerpſit.

Nomen filiæ Ulrici Heunburgii , quæ Sunekio nupsit, non inveni: eandem tamen , & sororem ejus Margaretham Pfannbergicam a fecunditate commendat ANONYMUS LEONIENSIS ad An. 1268. ita scribens: *Hier. Pez Tom. I. pag. 381.*

„ Relictam ejus (*viduam Ulrici ducis Carinthiae*) Ag-  
 „ netem, sororem Friderici, qui cum Chunradino  
 „ interiit, duxit comes Ulricus de Heunburg, quæ  
 „ genuit filios & filias, ex quibus processerunt co-  
 „ mes Ulricus de Pfannberg, & Fridericus Liberti-  
 „ nus, jam comes Cyliæ, & utriusque  
 „ sexus seges nobilium  
 „ ampla.



SPE

# SPECIMEN II.

## GENEALOGIAE

### COM. CELEJANORUM E SOUNEKIIS.

Pag. 45.

*Gebardus I. de Suneck. 1173.*

*Gebhardus II. nobilis de Seuneck (vel Sounneck.) 1209. 1224. 1227.*

*Chunradus Gebhardi filius 1224. cum patre.*

*Richerus. uxor Sophia,  
filia Alberti de Rohats, fundat Studeniz 1263.*

*Leopoldus. 1262. 1278.*

*Uxor Margaretha, an. 1282.*

Vidua.

*Ulricus I. 1262. 1301. 1303. 1306. 1309.*

*uxor N. filia Ulrici Com.*

*de Heunburch, & Agnetis  
Badensis. 1302.*

*Gebhardus III. Dominus de Seuneck.*

1276.

*Fridericus I. liber de Saneck. 1313. 1331. Celejam redimit &c. Circa 1332. Capitaneus Carnioliae. 1341. fit Comes a Ludovico IV. Imp. titulo de Cily. † 1359. 9. Augusti.  
Uxor I. Anna, Joannis Saxon. ducis, & Helenæ Slesvicensis filia quarta.  
Uxor II. Diedmud. (forte de Waldsee) † 1353. mortuæ mentio 1368. 1371.*

1.

*Anna 1348. 1354. Vidua 1376. Catharina 1353.  
1377. Maritus I. Albertus IV. Com. Goritiæ.  
Maritus Otto comes de Ortenburg. Inde natus Fridericus, Maritus II. Joannes Truchses de  
qui Celejanos heredes scripsit. Waldburg. 1377. 1386.  
1377.*

2.

*Ulricus II. 1359. 1360. 1361.  
1362. Capitaneus Carnioliae.  
† 1368. 26. Julii.  
Uxor I. Adelheid de Oettingen 1361.  
Uxor II. Adelheid de Ortenburg:  
Vidua 1371. 1377. † 1391. 17. Augusti.*

*Hermannus I. 1360. 1361. 1372.  
iterum comes declaratur a Carolo  
IV. ipse, & Wilhelmus. 1377. cum  
Ortenburgio Friderico pacta.  
† 1385. 21. Martii Viennæ, sepul-  
tus Celejæ.  
Uxor Catharina, Stephani Bosniae  
Reg. filia 1377. Mentio Viduae 1396.*

2.

*Wilhelmus (seu Guilielmus) 1371. 1372. comes iterum declaratur cum patruo.  
1377. pacta mutua successionis cum Friderico Ortenburgio. 1391. fundat  
capellam in Gurkfeld. + Viennæ e bello Turcico redux 1392. 19. Septembr.  
Uxor I. vel sponsa, Elisabetha, Mainhardi VII. com. Goritiæ fil. 1373.  
Uxor II. Anna Casimiri II. regis Poloniae filia 1387. Vidua 1394.*

*Joannes 1369. 1371.  
† 1372. 29. Aprilis.  
uxor Margaretha, filia  
Joann. com. de Pfannberch.  
Sponsa 1369. Vidua 1377.*

*Hermannus II. 1371. 1377. - - -  
1391. Capitaneus Carnioliae fundat aliquid.  
1396. Testamentum condit, it contra Tur-  
cas. 1407. fundat Pletriach. 1427. heres  
Bosniæ a Stephano rege scribitur, & Ba-  
nus Sclavoniæ legitur. + Posonii 1434.  
13. Octob. sepultus Pletriæ.  
Uxor Elisabetha, filia com. de Schaum-  
burg. 1377. 1396. non jam viiva.*

2.

*Anna, Jagelloni seu Vladislao Regi Poloniæ desponsa 1400. 5. Novembr.  
Nupta 1401. in carnis privio. Coronata 1402. 5. Februarii.  
† 1416. 21. Martii.*

#### F I L I A E.

N. - -

*Maritus Nicolaus de Gara, Nicolai  
filius, Palatinus comes Hungariae:  
Sponsi 1399. Mentio amborum  
1405.*

#### F I L I I .

*Hermannus III. cum patre & fratribus  
firmat Cartusiam in Pletriarch 1407.  
1414. † anno 1426. vel 1427. in Stain.  
Uxor I. N. - - - de Adelsperg.  
+ circa 1423.*

*Uxor II. Beatrix, Ernesti ducis Bavariae  
filia; Sponsalia Salisburgi 1424.  
Eadem an. 1427. 1. Septembris nupsit  
Joanni duci Bavariae in Amberg.*

*Ludovicus, cum patre & fra-  
tribus 1407. 1414.  
† 1417. vel 1420. circiter.  
De uxore non constat, minus  
de prolibus.*

\* *Hermannus NOTHUS. Le-  
gitimus, fit 1412. 25. Julii  
Episcop. Fisingæ. Mentio ejus  
1414. 1417. 1421. 29. Mar-  
tii designatur Episc. Tridenti-  
nus.*

*+ Celejæ 1421. 13. Septembris.*

*Elisabetha, nupta Henrico IV. comiti Goritiæ, cuius uxor altera de tribus fuit;  
occurrit 1400. 1412. 1424. 1426.*

*Barbara, sponsa Sigismundi R. Ungariæ, circa 1400.  
Nuptiæ 1408. Coronata regina Bohemiæ 1436. 11. Februarii.  
Vidua 1437. a die 9. Decemb. + Mielnicii 1451. die 11. Julii,  
vel 6. Junii: Sepulta Pragæ.*

*Fridericus II. 1369. 1407. 1414. 1425.  
capitur a Sigismundo rege. 1436. 30. No-  
vembris Pragæ fit Princeps a Sigismundo.  
Inde bella cum Austriacis: pax 1443., &  
pacta mutua successionis 1437. + 1454. 9.  
Junii in Sanegg, sepultus Celejæ.*

*Uxor I. Elisabetha, Stephani com. de Veglia & Modrusch filia 1396. + 1422. Cele-  
jæ sepulta.*

*Uxor II. (antea pellex) Veronica de Te-  
schniz, nupta 1425. occisa 1428. circiter.*

*Ulricus III. 1438. gubernat Bohemiam pro Alberto rege.  
1443. Educator filiorum Henrici IV. com. Goritiæ. 1450.  
31. Augosti, moderator Ladislai regis, Austriaci. 1453.  
movet aula. 1454. redit. + Belgradi 1456. 9. Novembr.  
occisus a Ladislao Hunyade, & conjuratis: sepultus Ce-  
lejæ. Uxor Catharina, Georgii Serviæ Despotæ filia, marito superstes.*

*Hermannus IV. Georgius obiit prima Maji in cu-  
forte + 1452. nis 1423, vel 1443.*

*Fridericus III. obiit parvus,  
sepultus in Ca-  
pitulo Cartusiae  
Seizensis.*

*\* *Joannes NOTHUS*  
Legitimus Romæ re-  
nunciatur a Nicolao V.  
1447. 15. Novem-  
bris.*

*I.*  
*Margaretha*  
*Maritus I. Hermannus com. de Montfort. &*  
*Pfannberg.*  
*Maritus II. Wladislaus dux Tessinensis.*  
*Illa 1456. occiso Ulrico III. petit Celejanas terras.*  
*1462. Georgius Rex Bohem. Friderico III. Impe-  
ratori cedit jura, quæ ipsi Margaretha cesserat.*  
*Wladislaus dux + 1463. Margaretha + 1480. 22.*  
*Sepulta Glogoviaæ.*

*Elisabetha Sponsa destinata Joanni com.  
Goritiæ 1443. 1444. Deinde promis-  
sa Mathiae Corvino; obiit post 1448.*



## SPECIMEN II. GENEALOGIÆ

Sounekiorum , deinde comitum Celejæ,  
comprobatur.

**S**eriem in *Specimine IIdo* propositam ita diplomati-  
cis documentis , atque historicorum testimoniis  
roborare conabimur , ut præfixo cuivis *Nomini* ,  
adjungantur deinceps numeri *Anni* , si in Specimine Ge-  
nealogico positi sint ; atque illico indicentur fontes , unde  
veritatis , aut verisimilitudinis argumenta hauserimus .

*Gebardus I. de Suneck 1173.*

Inter diplomata Cartusiæ Seizensis , in agro Cele-  
ano sitæ ( quæ collegit R. P. SIGISMUNDUS PUSCH S. J.

atque eadem sparsim edidit in Codice Diplomatico. Epistolari,  
 R. Pater Bern. Pez. Vide Parte II. pag. 32. 33.) extant Tabulæ , quibus Udalricus II. Patriarcha Aquilejæ Seizensibus donat campos & vineas , decimarum permutatione a Gonuwitzenibus comparatas. Actum est hoc feliciter Anno Domini MCLXXIII. Indictione III. ( corrigere VI. vel VII. ) presentibus fratribus nostris. --- Laici etiam cognoverunt : Gebardus de Suneck , Leopoldus de Honehe. . . .

### Gebhardus II. nobilis de Seuneck 1209.

Gyriensis olim Cartusia, in agro Celejano ab Henrico I. Gurcensi episcopo fundata , instaurata vero fuit a Leopoldo ejus nominis Illo Austriae & Styriæ duce , quem Gloriosum appellant. Chartæ hujus instauratiōnis apographum adest in collectaneis MStis Puschianis Gyriensium N. I. Initium est : Liupoldus D. G. Dux Austr. & Steyr. &c. in perpetuum. . . . Testes Weregandus de Hohenec , Gebhardus de Seuneck. . . . Acta sunt hac in foro nostro Marchburch Anno Dominicæ Incarn. Milles. Ducentesimo VIII. Indictione duodecima , quarto Idus Septembris.

Hunc Gebhardum II. de Seuneck prioris Gebardi filium fuisse , ex eo colligo , quod isthic Weregandus de Honeck

*Suneck* præponatur *Gebhardo* : in priore vero charta Seizensi *Gebardus de Suneck* prælatus fuerit ipsi *Leupoldo de Honehe* seu *Hohenek* ; cum tamen *Leupoldus* hic *Weregandi* pater fuerit. Constat istud ex alio Seizensium diplomate , inter *collectanea Puschiana Seizensium N. I.* quo Ottokarus (quintus) marchio de Styra Anno MCLXV. (inchoato a die natali Domini) Seizensibus quædam donat , ubi inter testes : *Liupoldus de Hohenek* , & filius ejus *Werardus* , quem a *Weregando* diversum non esse res ipsa loquitur.

### *Idem Gebhardus II. cum filio Chunrado 1224.*

Leopoldi gloriosi ducis Austriae & Styriae diploma vedit Puschius , cuius non nisi fragmenta refert inter *Gyriensia diplomata N. III.* sed integrum inter *Celejana*. Eo immunitates quædam conferuntur lapideo ponti , quo Savum fluvium dux , prope ecclesiam S. Ægidii , consterni jussérat. Testes *Gebehardus nobilis de Sounneck* , & *Chunradus filius suus* , *Liupoldus nobilis de Hohenek* . . . (Hic *Liupoldus* haud dubie *Weregandi* filius , Leopoldi *Hohenekii* nepos fuit , uti superius prolata demonstrant) *Acta sunt hæc in Marchburch VI. Idus Febr. Anno Domini MCCXXIII. per manus Liu-*  
*poldi notarii.*) Postremum *GEBARDUS* iste a nobis observatus est in literis prædicti *Leopoldi* ducis , queis  
 con-

confirmat compositionem factam inter Dominos de Wil-  
donia Liutoldum & Ulricum fratres, &c capitulum Sec-  
covicense. Datum Gracii 1227. Testium primus Gebe-  
bardus nobilis de Soueck. . . . ) Collectanea Puschiana.

### *Richerus Dominus de Sunegk ante 1263.*

*Richeri neque patrem, neque certam ætatem in-  
veni; at eundem circa Annum 1240. floruisse, colligo  
ex binis Tabulis fundationis Parthenonis hodieque flo-  
rentissimi, quem in Studeniz, Celejanæ regionis loco,  
virginibus ex regula S. Dominici DEO famulantibus  
extruxit, dotavitque *Sophia*, filia *Alberti de Rohats*,  
ac vidua *Richeri de Sunegk*. Tabularum harum apo-  
graphum *Puschianis collectaneis* debeo, inde sequentia  
decerpsi: „Ego Sophia humilis vidua IESu Christi,  
„post mortem quondam dilecti mariti mei domini  
„Richeri de Sunegk, sciens juxta vocem Apostoli-  
„cam. . . . Quare ob laudem Divinæ Majestatis, ad  
„fundandum monasterium gloriosissimæ Virginis, ac  
„intemeratae Matris Mariæ, in loco, qui vulgo Stu-  
„deniz dicitur, nunc autem fons gratiarum nunci-  
„patur, bona hereditatis meæ. . . . Acta sunt hæc  
„Anno Incarnationis Domini MCCLXIII. Indictione  
„sexta, octavo Kalendas Junii.*

In his Tabulis Sophia hæc se fecisse memorat consensu Fratris domini Heinrici de Rohats, itemque Sororis meæ Richzæ, & filii ejus domini Ottonis de Chungenberg, atque etiam domini Henrici de Wilthousen, e sorore nepotis. Alia porro in charta Studenizensi, circa Annum MCCLXXXVII. data, *Sophia* jam mortua, & antea sacris virginibus associata, vocatur soror *Sophia* domini Alberti de Rohats *filia*. *Albertum* de Rohats inter testes invenio in charta Seizensi Anno MCCVII. Item in alia Anno MCCXXIV. a Leopoldo II. duce Austr. & Styriæ data, de ponte Savo imposito: item in Gyriensium tabulis An. MCCIX. MCCXII. MCCXXIV. MCCXXVII. Inde probabilem conjecturam capio: circa Annum MCCXL. hujus Alberti filiam *Sophiam Richero de Sunegk* collocari potuisse; ex quo porro colligo, *Chunradi fratrem*, aut certe proximo sanguinis vinculo conjunctum, hunc *Richerum* videri.

### *Leopoldus & Ulricus I. de Sonnegg*

1262. &c.

Pauca inveni in Repertorio Tabularii Austriaci manuscripto, de Leopoldo sequentia.

Parte III. fol. 813. *Ladula* 89.: „ Nominantur „ in instrumento compositionis duo fratres Leopoldus, „ & Ulricus de Sonnegg.

*Ibidem fol. 654. „ Nominatur Leopoldus de Son-*  
*,, negg Anno 1278.*

*Ibidem fol. 814. „ Anno 1282. vidua Leopoldi*  
*,, de Sonneg dicitur Margaretha.*

## *Ulricus I. Liber de Suneck 1262. 1301. 1303.*

Præter mentionem *Ulrici*, ut fratri *Leopoldi*, Anno MCCLXII. factam, rursum in *Repertorio Austriaco Parte III. fol. 676. Ladula 89.* sicca hæc notitia occurrit: „ Anno 1301. nominatur *Ulricus de Sönnegg*) Item fol. 716. „ Comes *Ulricus de Pfannenberg*, „ cum consensu saceri, & affinis sui comitis *Ulrici*, „ & comitis *Friderici de Heumburg*, tradit *Ulrico*, „ *Libero de Suneck* decimas quasdam Anno 1303.

*Ulrico I. de Souneck uxorem fuisse N. filiam Ulrici comitis de Heunburg, atque Agnetis Austriaco-Badensis, ostendimus in probationibus Speciminis I. Genealogiae, ad finem, ex documento dato Anno MCCCII. Ibidem ex ANONYMO LEOBIENSI monuimus, Ulrici Heunburgii filias a fecunditate laudari.*

Gebhardus III. dominus de Seunek 1276.

Id unum e collectaneis Puschianis adferre de hoc Gebhardo possum, quod ex Tabularii aulici Gracensis documento, *Ladula* 40. contento, ita excerptum reperi: „Gebhardus dominus de Seunek Tergesti confert Henrico de Antro & fratibus ejus Godefrido, „Udalrico, & Bertholdo, quatuor mansos in pro- „vincia Cukniz, in villa Lok. Anno MCCLXXVI, „die X. Kal. Junii.

Fueritne hic *Gebhardus Leopoldi*, atque *Ulrici* frater: aut an *Chunrado*, vel *Richero* tribuendi sint hi filii, aut quinam horum trium? certi nihil detexi. Certiora deinceps suppetent. Postremus e praedictis tribus Sounekiis occurrit *Ulricus I.* ad Annum MCCCIX, quo eundem viventem memorat *Chronicon Rythmicum HORNECKII*, scriptor Austr. Hieron. Pez. Tom. III. cap. 813. pag. 822. & 823. item cap. 829. pag. 841. ad 843. Dum nempe dominus Ulricus de Saunegg & adversum locustarum infinita agmina, utilia suis præcepit: &, quod gloriosius est, subinde Friderico duci suo, cum ceteris Styriæ proceribus, contra seditiosos præsto fuit.

## Fridericus I. Comes de Cily.

Quoniam ex Ulrici Heunburgii filia, *Ulrico Sounckio* nupta, multam utriusque sexus sobolem, & singillatim: *Fridericum Libertinum* prodivisse ANONYMUS LEOBIENSIS testatur; nullus dubito: *Fridericum I. Sounekiorum* certum propagatorem, *Ulrici* illius filium fuisse. LAZIUM de *migrat. gent. Lib. VI.* pag. 182. non audio, qui, sine teste, *Leopoldo Sounckio* filium tribuit *Henricum*, hujusque Henrici fratrem *Fridericum* appellat. Valeat *Henricus ille*, nescio unde desumtus; *Friderici tempora* videamus.

Ab Anno MCCCXIII. ad MCCCXLI. *Fridericum*, ut *liberum de Sanek*, deinceps vero, ut *comitem de Cily vel Zili*, in documentis compellatum occurrere, adnotatum est in *Repertorio Austr. Parte III. Lad. 89. pag. 607.*

*Anno 1331* literæ concordiæ inter Styriæ & Carinthiæ quosdam proceres publicatæ sunt *Græcii die Veneris ante S. Michaëlis*, arbitrio & consensu Alberti ducis Austræ confirmatæ. Capita litigantium fuere D. Conradus de Auffenstein capitaneus & marischalcus Carinthiæ, & Hermannus comes de Ortenburg, cum suis, ex una parte: ex altera D. Ulricus de

de Waltsee capitaneus Styriæ , & Fridericus liber de Saneck , cum suis. Inter conditiones concordiaæ tertio loco proposita fuit : *Celejam cum eo spectantibus Auffensteinius redimendam dato libero de Sanek , pretio CCL. marcarum argenti : secundum literas arbitrii , ab Alberto duce missas.* Quarto : Domum quoque Celeja amice partiuntor. Quinto : si de Celeja aliquid obturbaretur , arbiter causæ deligitur neutri parti suspectus. Sexto : Wulfingus de Edling , aliquie Saneckio obnoxii , et si contra patronum suum pugnaverint , sua tamen retinento. Tabulæ istæ , germanice conscriptæ , in *Tabulario aulico Græcii exstabant , Ladula 43. Num. 2.* unde Puschius integras descripsit , quales dabimus in *Codice diplomatico Celejano.*

Celejæ oppidum ( nondum enim muris cinctum , urbis vetera jura non receperat ) una cum arce , & nobilibus in oppido habitantibus , hypothecæ titulo Conrado Auffensteinio obligaverant , ex Heunburgica hereditate , Elisabetha comitissa de Heunburg , & comes Udalricus de Pfannberg , Margarethæ Heunburgicæ maritus ( aut filius eodem nomine ) Anno 1323. Dominica ante Purificationem : uti ex documento *Tabularii Gracensis , Ladula 44. Num. 54.* Puschius excerpst. FRIDERICUS igitur Seuneckius , ex Heunburgica quoque natus , hanc hereditatis portionem ab Auffensteinio redemit , atque Celejam possidere cœpit.

Omitto hic alia de Friderico nostro, & Chronico nostro Celejano reservo; qualia sunt: eundem ab anno circiter 1332. teste ANONYMO LEOBIENSI, capitaneum Carnioliae, ab Henrico duce Carinthiae constitutum, atque ab Ottone Austriaco, Anno 1335. confirmatum fuisse: item a Bertrando Patriarcha Aquilejensi collata ei fuisse prædia Lemberg & alia; quæ res a LAZIO prodita, de *migrat. gent. Lib. V. pag. 182.* e diplomate Ludovici Bayari, mox indicando, fidem accepisse videtur.

Enim vero Anno MCCCXL<sup>I</sup>. Ludovici Imp. Augusti Anno regni XXVII. Imperii XIV, Monachii die luna post septimanam Paschæ, idem Ludovicus Aug. Fridericum liberum de Sewenegk, atque heredes omnes, petitione & consensu ducum Austriæ, Styriæ, Carinthiae, ornat titulo, & privilegiis *comitis de City*, ob fidelia obsequia, quæ præstítit, & speratur præstiturus: item ob peramplos fundos: a pago Seluck infra Hohenegg in ducatu Styriæ, usque ad pagum Caberch, in longum IV. milliaria: & in latum item IV. milliaria, a pago Gewblitz prope terminos Lantsperg, in Episcopatu Gurcensi, usque ad pagum Sabiach prope Feistritz in Styria, quod totum olim erat in dominio Lengeburg, seu Lemberg, de quo paullo ante dictum est. Tabulas integras ex *Tabulario Gracensi, Ladula 43. N. 4.* Puschius descriptas reliquit.

Hoc

Hoc memorabile factum ANONYMUS LEOBIENSIS , ejusque fraterculus CONTINUATOR MARTINI POLONI , male adscripsere Anno MCCCXL , atque pejus FRIDERICUM de Seunegk seu Sewenegk , appellavere ipsi , aut descriptores eorum , Fridericum Libertinum de Swenek , vel de Swedinch .

Anno 1359. die nona Augusti Fridericum I. Celejæ comitem obiisse censeo , teste *Chronico nobilium comitum Celejanorum* , cum edito in collectione veterum monum. ab SIMONE FRID. HAHNIO pag. 675. Tomi Ildi , tum manuscripto , in quibusdam diverso , in Bibliotheca Cesarea Vindobonensi , Germanice , Cod. c. fol. Histor. profan. XXVIII. Evidem Necrologium Ciliense apud VALVASOR. in Carniolia vetere & nova , lib. XV. pag. 359. Item manuscriptum apographum , ejusdem Necrologici monumenti inter collectanea Puschiana , mortem Friderici ita refert : „ A. D. 1360. vitam cum morte „ commutavit comes Fridericus , 20. May , hic sepul- „ tus . ) Verum hoc monumentum necrologicum , quod Celejæ in templo RR. PP. Minoritarum , prope sum- mam aram extat , ubi comites Celejæ siti sunt , Anno demum 1695. confectum est , annosque obitus mi- nus accurate interdum consignatos habet. Præterea in Tabulis MCCCLX. die X. Februar. & in Tabulis aliis Anni MCCCLIX , soli comparent inter testes : comites

*Utricus & Hermannus, Friderici filii. Unde probabile est, Fridericum Anno MCCCLX. inter vivos mense majore non fuisse. Documenta ista duo mox indicabimus, ubi de Friderici filiis agemus.*

*Anna, prior Friderici conjux; exhibetur in Chronico BOTHONIS: Leibnizii scriptorum Tom. III. pag. 370. ad finem: nempe dum Joannis ducis Saxonie, & Helenae Sleswicensis proles enumerantur, circa Annum MCCLXXXI, ita de ultima filia habetur: quarta appellatur Anna, quae nupsit comiti Friderico de Zily.*

*Uxor altera Friderici, Diedmud (de Waldsee seu Wallsee) fuerat: in documentis publicis, ut viduae, (si non & mortuae) occurrit mentio Anno 1368. in literis obligatoriis Cartusiae Gyrensis, ad celebrandum anniversarium, pro comite Hermanno Ciliensi, ejusque parente Friderico, & comitissa Diemude, ac fratre Udalrico Ciliensi. Date Dominica post nativitatem B. V. Mariae MCCCLXVIII. Ita PUSCHIANA collectanea ex Tabulario Graecensi Ladula 10. N. 15.*

*Rursum Anno 1371. Hermannus I., comes Ciliæ pro se, filiusque suis Joanne, & Hermanno, pariterque*

que defuncti fratris sui *Udalrici* filio, comite *Guilielmo*, nec non pro anima parentis sui comitis *Friderici*, matris *Diedmudis*, decimas quasdam Gyriensibus dedit. *Datum Cilie die Ascensionis MCCCLXXI. Pusch in Codice MSto diplomatico Celejano.*

Diedmudem obiisse 1353, interea credimus Lazio lib. VI. migrat. gent. pag. 182, dum certiora degantur.

### *Anna Friderici filia.*

Filiae duas, ex *Anna* (ut suspicor) suscepit *Fridericus*, *Annam* & *Catharinam*: filios item duos ex *Diedmude*, *Ulricum II.* & *Hermannum*. De filiabus prius agemus, de quibus non nisi pauca excerpta ex *Repertorio MSto Austriaco* proferre in præsenti possumus. Videlicet Parte III. fol. 819. ita legi: *Anno 1348. nominantur Otto comes de Ortenburg, & Anna ejus uxor, filia Friderici comitis Cilejensis, & soror Ulrici, ac Hermanni. Similia fere ad Annum 1354. adnotata inveni. Denique Ibidem fol. 870. habetur: Nominantur An. 1376. Otto comes de Ortenburg, & vidua ejus Anna Cilejensis, & filius eorum Fridericus de Ortenburg.*) Cum Ortenburgico hoc Friderico mutua successionis pacta, felici eventu, iniere Celejani comites, qua de re inferius agetur.

*Catharina Friderici filia.*

*Catharinam* Alberto IV. comiti Goritiæ , filio Alberti III. & Euphemiæ Utehild de Mætsch , in manus convenisse , eandemque Annis 1348. & 1354 , ut Alberti conjugem occurrere ; at post Annum 1374. ( quo , aut paullo ante , Albertus IV. Goritianus decessit ) eandem *Catharinam* ductam esse a Joanne Truchses de Waldburg , atque ut hujus uxorem , in documentis Annorum 1377. & 1386. *Catharinam* commemorari : omnia inquam ista comprobata sunt in *Tentamine Genealogico - Chronologico promovendæ seriei comitum & rerum Goritiæ* , edito *Vindobonæ* 1752. pag. 192. & 193. Ubi anni singuli , *Catharine* isthic adscripti , chartis publicis confirmantur , quæ in *Tabulariis Austriae* sunt repositæ . Ex his documentis suppletur *Chronicon Celejanum* , quod de hac *Catharina* tacet.

*Ulricus II. & Hermannus.*

*Udalricum* seu *Ulricum* , *Friderici* ex *Diedmude* filium , vidimus paullo superius , ubi de *Anna Friderici* priore uxore tractavimus , ex documentis Annorum MCCCLXVIII. ubi & *Hermannus* , *Udalrici* frater , sicutur : & MCCCLXXI. ubi præter *Hermannus I.* parentes , etiam ejusdem filii *Joannes* , & *Hermannus II.* quin

quin & *Guilielmus*, *Ulrici* fratri filius, commemo-  
rantur:

*Ulricus*, & *Hermannus* post mortem patris illico in tabulis publicis inter testes leguntur: nempe: 1359. *Vienne* in tabulis *Rudolfi IV.* ducis *Austrie*, *Styria* &c. quibus Friderico de Kreüsbach munus hereditarium supremi venationum per Austriam magistri stabilitur; testibus in ordine comitum inserti sunt: *Ulricus* & *Hermannus* fratres, comites de *Cyli*. *Lünig*, cod. *Germ. dipl. P. II.* pag. 506. In ejusdem *Rudolfi IV.* chartis quatuor (eodem omnibus Anno 1360. datis) queis firmat privilegia & prædia: *Imo* ordinis Teutonicorum equitum in *Styria*: *Gracii* die X. Februarii. *Ildo* *Ru-*  
*nensis* coenobii, *Gracii* III. Februarii. *Illo* *Gyriensis* Cartusiæ. *IVto* Admontensium Benedictinorum: in hisce documentis, *Puschiana collectionis*, occurunt inter testes: *Fideles nostri dilecti Ulricus* & *Hermannus* fratres, comites de *Cylia*. Interea omittimus diploma-  
ta reliqua, in quibus duo isti fratres consequentibus annis memorantur: velut 1361. in *Repertorio Austr. P. III.* fol. 614. &c.

*Udalricum* Friderico patri successisse in munere capitanei Carnioliae, colligo ex literis aliis Rudolfi IV. ducis, quibus nobili fideli suo *Ulrico*, comiti de *Cylia*, promittit compensationem sumptuum, quos

belli causa fecerat idem comes, quippe qui sit capitaneus Carnioliae. *Datum Vienne, die Veneris ante S. Augustinum MCCCLXII. Integræ, Germanice scriptæ, chartæ apographum Puschius reliquit ex Tabulario Græcensi, Ladula 43. N. 12.*

Anno 1368. Albertus, & Leopoldus duces Austriae sese certis conditionibus obligant comitibus Cilliæ Ulrico, & Hermanno, pro obsequio nonaginta galatorum præstito ad iter Italicum per menses sex, pignorique urbem Feistricz opponunt. *Datum Vienne in vigilia S. Joannis Baptiste. MCCCLXVIII. Inter Puschiana, ex Tabulario Græc. Lad. 5. N. 56.*

Post hæc mense elapso vita excessisse Ulicum comitem, nempe die Sanctæ Anna 1368, CHRONICON CELEJANUM utrumque, manuscriptum perinde, ac editum prodidit. *Necrologicum monumentum Celejanum, Celejæ sepultum Udalricum nos docet; sed male annum mortis 1366. exhibet, diem vero 27. Julii, seu postridie festi S. Annæ.*

*Adelheidas binas deinceps conjugio sibi adjunxit Udalricus II. prior Adelheid de Oettingen se offert, ad Annum 1361. in Repertorio Austriaco P. III. fol. 614.*  
,, Co-

„ Comes Ludovicus senior , & item junior de Oettin-  
 „ gen potestatem faciunt Henrico de Ruttendorf, tran-  
 „ sigendi cum domina Adelheide comitissa de Cili ,  
 „ de quibusdam cimeliis , quæ olim erant Alberti  
 „ comitis de Oettingen. ) Hanc Adelheidam Oet-  
 tinganam etiam *Chronicon Celejanorum comitum* , Ulrico  
 II. Cilejano uxorem tribuit. Adelheidam Ortenburgi-  
 cam , altero matrimonio accepit Ulricus , uti suspicor ,  
 paullo post An. 1361. quia natus ex ista *Wilhelmus* ,  
 Anno 1377. cum patruo *Hermannus* (ut de eo dicetur )  
 in Borussiam iter suscepit. Adelheidam istam , non ni-  
 si viduam , in documentis inveni. Anno 1371. in Re-  
 pertorio Austr. Parte III. fol. 820. memoratur : „ Vi-  
 „ dua Ulrici Ciliensis , eademque mater comitis Guiliel-  
 „ mi , quæ literas reversales dat de assignatis , in dota-  
 „ litium , centum mansis in Prasperg , & Altenburg , pro  
 „ 100. libris numorum Viennensium , per affinem suum  
 „ comitem Hermannum . Datum Ciliæ fer. III. ante  
 „ Pascha MCCCXXI.) Autographum extabat in *Archivo*  
*Græcensi* , *Ladula* 39. N. 7. unde ista excerptis Puschius .

De Adelheidæ hujus memoria Anno 1377. mentio  
 fiet in rebus Hermanni I. Mortem Adelheidæ Orten-  
 burgica ad Annum 1391 , diemque S. Laurentii re-  
 fert LAZIUS , de Republ. Rom. lib. XII. cap. VI. pag. 993.

Antequam ad Hermanni Imi , fratri Ulrici II. , re-  
liqua gradum promoveamus ; libet Ulrici II. filium  
unum, ac neptem in medium adducere.

### *Wilhelmus Ulrici II. filius.*

*Wilhelmus* iste , seu *Guilielmus* , exhibitus paullo  
ante ad An. 1371. *Ulrici ex Adelhaida Ortenburgica*  
*filius*, quædam cum Hermanno I. patruo communia ha-  
buit, quæ illic fusi exponemus ; nempe Anno 1372.  
ambo a Carolo IV. Imperii comites de novo renun-  
ciati sunt. Porro 1377. ambo , cum Hermanno ju-  
niore , ad iter Borussicum se accinxere , mutuaque suc-  
cessionis pacta cum Ortenburgiis constituere. Deni-  
que ambo 1391. in festo S. Matthiæ , fundarunt bene-  
ficium ad capellam S. Nicolai in Gurck-feld.

Anno 1392. die Jovis post exaltationem S. Cru-  
cis obiit *Wilhelmus* Vindobonæ , cum ex suscepta  
cum Sigismundo Hungariæ rege in Turcas expedi-  
tione rediisset. Ita *Chronicon Celejanum* utrumque.  
*Monumentum Necrologicum Celejanum* etiam annum  
obitus *Wilhelmi* refert MCCCXCII. sed diem XXII. Sep-  
tembris. *Chronico Celejano* potius credo de die XIX. Sep-  
tembris , quæ fuit eo Anno dies Jovis post Exaltatio-  
nem S. Crucis. Sepultus est Celejæ in Minoritarum templo.

Spon-

Sponsa *Wilhelmo* olim destinata (de qua silet *Chronicon Celejanum*) perhibetur ad An. 1373, in *Repertorio Austr. Parte III. pag. 590.* his excerptis: „ Tractatio instituta a comite Hermanno (primo, & *Wilhelmi patruo*) de Cili, de matrimonio inter comitem *Wilhelmum*, filium comitis Ulrici de Cili, & dominam *Elisabetham*, comitis Meinhardi (septimi) de Goerz filiam.) Hujus diplomatis integri apogaphum *Cl. Puschio* debeo, & *Chronico Celejano* reservo. Est illud: *Datum Villaci, die Veneris ante S. Galli (XXIV. Octobris) Anno MCCCLXXIII.*

Ductane sit a *Wilhelmo* hæc *Elisabetha*, mihi non liquet. Uxor certa *Wilhelmi* in documentis legitur *Anna*, Casimiri II. Poloniæ regis filia. Ad Annum 1387. ita *Repertor. Austr. P. III. fol. 761.*: „ In tabulis Ludovici regis Hungariæ appellatur *Anna*, Casimiri R. Poloniæ filia, uxor *Wilhelmi* comitis Cilejæ.) Eadem *Anna* Polona, jam vidua, Anno 1394. ita commemoratur in fragmento, excerpto e tabulis *Archivi Gracensis*, *Ladula 41. Num. 61.*: „ *Anna*, Casimiri Poloniæ R. filia, *Wilhelmi* com. Cilejani vidua, fidem facit his literis, accepisse se ab affine suo Hermanno comite, quæ contradotis & morgengebæ nomine reliqua fuissent, XVI. millia florenorum. *Datum Ciliæ. Fer. IV. post sanctam Crucem in autumno.*) Id est: post festum Exaltationis S. Crucis.

Fructus conjugii *Wilhelmi & Annae*, erat *Anna*, quam Anno 1400 ab *Hermanno II. Celejano*, tutore, sponsam sibi expetiit *Jagello*, seu *Wladislaus*, R. Poloniæ, & magnus dux Lithuaniae, extincta priore uxore *Hedwige*. Cracoviæ sponsalia innovata sunt cum *Anna* præsente, feria VI. post festum omnium Sanctorum. Nuptiæ processere in carnis privio An. 1401. coronam recepit *Anna*, die S. Benedicti Anno 1402. Hæc ex præstantissimo Poloniæ historico *JOANNE DLU-GOSO*, seu *LONGINO*, lib. X. hist. Polon. pag. 166. & 169. desumpta sunt, consentiente *Chronico Celejano*, *HAHNII* collect. monum. Tomo II. pag. 678. & 679. Obiit hæc *Anna* An. 1416. die 21. Martii. *Idem* (*Dlugossus*) pag. 169. *ibidem*. Revertamur, unde digressi sumus, ad res *Hermann I. Imi*, & ad uxorem *Catharinam*, & filios duos *Joannem*, & *Hermannum II.* ex eadem susceptos.

### *Hermannus I. Friderici filius.*

Anno 1372. a Carolo IV. Imperatore rursum, quasi de novo, Imperii comites creantur *liberi de Senecke Hermannus I.*, & *Wilhelmus*, eorumque heredes, nulla facta mentione Ludovici Bavari, datique An. 1341. ab eodem *comitis* tituli. Istud equidem ideo factum arbitror; quod *Carolus*, *Ludoyici Cæs. æmulus*,

Ius, atque Ludovico communione fidelium, & imperii juribus privato An. 1346. oppositus, ejus acta pro nullis, hac saltem in causa, haberi vellet. Prostat diploma Caroli IV. integrum in edito *Chronico comitum Celeja*, & apud LÜNIG, *Cod. Germ. dipl. P. II.* pag. 511. item apud MEGISERUM *Annal. Carinthiae L. IX.* cap. VIII. pag. 981. Recensetur quoque apud GEORGISCH in *Regesto diplomatico ad An. 1362.* Verum apud hos omnes scriptores vitiōse scriptus legitur ipse dati diplomatis annus, nempe 1362, loco veri Anni 1372, & loco: *Hermannus & Wilhelmus patruelēs*, legitur: *Utricus & Hermannus fratres*; quod omnino corrigendum est. Errorem utrumque facile detegere potuissent ex adscriptis annorum aliis characteribus in Caroli diplomate, quod integrum repræsentatur in Tabulis Germanicis Sigismundi Cæsarī, Anno 1436. exaratis. Dabo hic igitur hoc diploma Carolinum integrum, ut illud inveni descriptum ex originaria Sigismundi charta, quæ servabatur in *Tabulario aule Gracensis*, unde apographum nactus est accuratissimus Puschius.

**S**ir Carl von Gotes gnaden Römischer Kaiser zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, und König zu Böhmiā bekennen, und thun fund öffentlich mit diesen Brief allen den die Ihn sehend oder hörend lesen, wie wöl wir durch Kaiserl. wür-

digkeit zu der uns der Allmächtig Gott von überflüxigen seinen Gnaden mildiglich hat geschicket, aller unser getrewen, als weite das Heil. Röm. Reich gebråtet ist, Söld und Ehre pflichtig sein zu mehren. Jedoch sint wir billich geneiget solcher unserer getrewen wesen und namen mit sunderlichen gnaden und Ehren günstlichen Erheben, die in ganzer stetigkeit und rechten treiben uns und dem Reiche zu dienste Ihren fleiß und werke für andre leute nuzlichen erzeigen, dawon, wann die Edeln Herman und Wilhelm Gesetztern von Sanecke, unser und des Reichs frey Edeln, und lieb getrewen in gleichnusse aller Ihr Eltern, und fürfarern in vergangen zeiten uns und dem Heil. Röm. Reiche getreulichen und nuzlichen behgestanden sein, und fleißlichen gedienet haben, und damite wol Erworben, daß wir sye gen solchen Ihren diensten in sunderliche Mehrunge Ihres Namens und Ehren billichen von Kaiserl. Mündigkeit, und angebohrner Gute bedencken, des haben wir angesehen, und in vorsichtigkeit unsers Herzen merklichen bedacht solche Erberkeit, dienste und trewe, die uns die Egenanten Herman und Wilhelm von Sanecke nuzlichen gethan haben, und auch sie und Ihr Erben in künftigen zeiten förderlicher wol getun müssen und sullen, und darumb, und auch fleißiger bette

te wissen, der Hochgeborene Albrechts und Leopolds  
Herzogen zu Oesterreich, zu Stehern, und Kernden  
unser liebe Sune und Fürsten, haben wir mit wol  
bedachten mute, mit Rathen unserer, und des  
Reichs Fürsten, grafen, freyen, Edeln, und lieben  
getrewen von rechter wissen und Kayserl. Machte  
vollkommenheit geschepfet, gesazet und gemachet,  
schepfen sezen und machen mit krafft diß briess, die  
obgenanten frey Edeln von Senekg Herman und  
Wilhelmb zu grafen des Heil. Röm. Reichs, und  
geben ihnen grafen Namen von Cilli genant, auch  
schepfen sezen und machen wir von Egenanten  
Kayserl. Macht und rechter wissen, dieselbe Grafschaft  
von Cilli in diesen Ihren nachgeschrieben  
Herrschaftl. gebieten gerichten, Gütern, Zugehö-  
rungen, gemerken und Zielen, anzuheben an den  
benannten Schlosse Senekg daunon sie vor freyen  
sind gewesen, und von dannen an Einer seiten auf  
vns zu einen andern Schlosse gehaissen Obern-  
burg. von denselben Schlosse wider zu thall zu  
Einem Haß vnd Schloß Schönstain geheissen und  
fürbasser ab bis zu dem gecluck vnter Hochenegk  
in dem Herzogtum zu Steyer, und gehet bis zu  
einem Dorff geheissen Gaberch dasselbhin sind auch  
die Gemerkh der Gebiet, die genant ist Rohatsch,  
und von denselben gemerken an des andern seiten

wieder auf zu der benanten graffshaft Cilli , und zu einen Sloß genant Osterwitz und grot wieder zu dem vorgenanten Schloß Senekg , die nach der Leng haben auf zehn Meil , auch habent sich an dieselben Herscheft nach der breite , und gebite das dem Dorff , das gehaissen ist Grubliz , das da flosset an das gemerk Landspurg in dem Bistum zu Gurkg und gehen bis zu dem Dorff das gehaissen ist Sabiach bey Faistriz in dem Herzogthumb Steyer , das sich Zeicht an Einen Enden auf vier Meil , und an Etlichen andern Enden auf drey Meile. Wir schepfen sezen und machen auch von Röm. Kaysert. May. vollkommenheit , ob sich die benanten grauen von Cilli oder Ir rechte Lehens-Erben yndert an andern Herschaften Schlössern , und Gütern in dem Heil. Reich gelegen , Erhöchen , mehren , und braiten wurden , daß Sy der dan auch in gleicher weise in solchen rechten Ehren und freyheiten geniessen und gebrauchen sollen und mügen , als wir In dan auf die obgenante Grafschaft Cilli gegeben haben. vnd wann nu von solchen Herscheffen gebieten , gerichten , gütern , Zugehörungen , und Zielen sy wol grafen gesein , und sich als grafen gehalten mügen. also daß von solchen Kaysert. Schöpfunge und gesetze , krafft wegen die obgenante Herman und Wilhelmb , alle  
Ihre

Ihre rechte Leibs-Erben und nachkommen Ewiglichen grafen von Tili genant sein, und beleiben sullen, und die obgenant greffshaft, als Sy das vor in Ihren Zielen und gernerken begriesen ist, von uns dem Rdm. Reiche vnsern Nachkommen Römischem Kaysern und Künigen zu rechten Edeln freyen Lehren als von Ihn, die auch gegenwärtiglich mit gewönlischen Huldungen und Enden verlihen haben. Empfahen halten, und getreulichen besitzen sullen, und mügen, an allerley Hindernusse, und auch, daß sy alle und jegliche rechte Ehre würdigkeit freyheit gewohnheit gerichte forteil und Ubunge in gerichte, und auswendig gerichtes vor den Rdm. Reich, und an allen andern stetten und Enden, wie sich das Immer gebüren mag; haben, üben, und der genzlichen gebrauchen sollen und mögen, wie andere Edele und gefrechte grafen des Rdm. Reichs, durch rechte und Gewohnhaft nach siten, der Lande haben, halten, üben, und der sie in einer weise gebrauchen. vnd darumb von Kayserk. Macht gebieten wir allen und jeglichen Fürsten geistlichen und weltlichen grafen, freyen, Edeln, und andern vnsern und des Heil. Rdm. Reichs lieben getrewen, und unterthanen, daß sie die obgenanten Herman und Wilhelmb grafen von Tili, alle Ir Erben und Nachkommen Ewiglich-

glichen unsere und des Reichs, freye Edle grassen, von Cilli nennen, und sie davor haben und halten sullen, und auch sy fürbaß mehr in künftigen Zeiten, an dem obgenanten unsern Kayserl. gnaden, rechten, Ehren werden und Freyheiten, mit dem wir sie an Ihren Namen und wappen gehöchet, gewürdigt und gefreyet haben, als vorbegrissen ist, nicht dringen, hindern, noch irren sollen in keiner weiß, und wer jemand, der darwider Icht frewentlichen thäte, der soll zu stunde, vnd als oft er das tut hundert Markh lettiges goldes verfallen sein, die halb in unsrer, und des Heil. Reichs kamer, und halb dem Eghenanten grassen von Cilli Ihren Erben, und Nachkommen, sullen on alles widersprechen genzlich gewallen. Mit vfkund diesß briefs versiegelt mit vnser Kayserl. Majestät Insigel. Der geben ist zu Brüne nach Christ geburd dreizehen hundert Jahr, darnach in dem zwey und sibenzigisten Jahre, an Sand Jeronimen tag. vnserer reiche in dem siben und zwainzigsten, vnd des Kayserthums in achtzehenden Jare.

Anni regnum Caroli XXVII<sup>itus</sup>, & Imperii XVIII<sup>itus</sup>  
 omnino repugnant Anno Christi 1362; manifestant  
 vero, reponendum Annum 1372. Nam An. 1346.  
 Carolus rex Bohemie esse cæpit a die 27. Augusti;  
 Rex

Rex Romanorum etiam a quibusdam contra Ludovicum prima vice idem electus est eodem An. 1346. die 11. Julii, & coronatus 25. Novembris. Imperialem porro coronam Carolus accepit An. 1355. die 5. Aprilis. Invicto huic argumento, pro Anno 1372, hujus chartæ, accedit aliud. Extat in *Chronico Celejano*, & apud *Lünig*, charta, qua duces Austriæ, Styriæ &c. Albertus & Leopoldus consensum præstant prædictæ Carolinæ promotioni comitum Celejæ. *Datum Norimbergæ Dominica ante S. Martini 1372.*

Etsi male rursus quædam apographa hic referant & diem *S. Martini*, loco *Dominicæ* ante eandem, & *Annum 1362*, loco 1372; tamen res ipsa clamat, id Anno 1362. ita fieri non potuisse. Nam Anno 1362. vivebat etiamnum, & regimen ducatum administrabat Rudolfus IV. dux Austriæ, qui in majoris momenti diplomatibus, Austriacas res contingentibus, aut *solum* saepe, aut *primus ubique* comparet, usque ad Annum 1365., quo decessit, &, cum prole careret, fratribus Alberto & Leopoldo terrarum Austriacarum regimen reliquit. Itaque si consensus ducum Austriæ ad Carolinam promotionem singatur An. 1362. datus, nullo modo Rudolfi IV. nomen & auctoritas abesse poterat.

Anno

Anno 1377. Albertum Austriacum in Borussiam ad bellum sacrum profectum fuisse, meminit GERARDUS de Koo lib. III. pag. 110. edit. Hale. Ducem suum comitaturus Hermannus I. comes, cum filio Hermanno II. & fratri filio Wilhelmo, tabulas condunt, queis in casum mortis trium comitum, atque si nullos relinquerent heredes, plerarumque terrarum suarum, quas enumerant bene multas, heredem constituunt cognatum suum Fridericum comitem de Ortenburg, Annae, Hermanni I. sororis, filium, ejusque heredes. Porro Hermannus I. his tabulis largiter uxori suae Catharine Bosnensi binis locis providet: item fundos datos uxori Hermanni filii sui firmat, quosdam assignat Adelheidi, conjugi fratri sui Ulrici jam defuncti: alia legat filie suae (ita uxorem filii sui Joannis appellat) Joannis comitis de Pfannerberch defuncti filiae: quædam aliis cognatis. Denique PP. Minoritis, apud quos sepeliri voluit, aliqua donat: alia famulis suis dispertienda jubet. „ Datum & scriptum Cili, anno post nativitatem Christi millesimo tercentesimo septuagesimo, die Martis in festis Pentecostalibus, cum appenso sigillo nostro.) Diploma hoc integrum dabimus ad Chronicon Celejanum, ex Tabulario Gracensi, Ladula 39. fasciculo I. N. 10. a Puschio descriptum. Vice mutua Fridericus Ortenburgius, & ejus patruelis Albertus com. de Ortenburg, episcopus Tridentinus, in casum mortis sine he-

herede, omnia sua transcribunt Celejanis comitibus, salvis illis, quæ dilecta mater Anna, & Adelheid vidua Ulrici Ciliensis, aliæque sanguine aut affinitate junctæ, jam possident, aut hisce tabulis nanciscuntur. *Datum Anno Nat. Christi 1377. die proxima ante diem S. Catharinæ Virginis.*) Tabulas refert LÜNIG spicil. secular. Tom. II. pag. 1841.

*Hermannus I.* tempus mortis dubio non vacat. *Monumentum Necrolog. Celejanum inter Collectanea Puschiana* Annum MCCCLXXXII. exhibet. Sed idem apud *VALVASOR lib. XV. Carniolie* pag. 359. Annum MCCC-LXXXV. diemque S. Benedicti, atque locum Viennam notat. Eundem Annum MCCCLXXXV. prodit *Chronicon MStum Celejanum Biblioth. Cesareæ.* Quare in eodem Chronico edito apud *Hahnium*, Tom. II. collect. monum. pag. 678. in numerum LXXXX. mendum facile ultimi X. irrepsisse videtur, loco LXXXV. Ita etiam superius MCCCLXXXII. facile loco LXXXV-legi poterat. Itaque An. 1385. probabilius vitam finit *Hermannus I.* Viennæ, die S. Benedicti, XXI. Martii, sepultus Celejæ, *Necrologio* teste.

Uxor *Hermannus I.* unica fuit *Catharina*, Stephani Bosniæ regis, aut dynastæ, filia, cuius memoriam

*comitissae Catharinae nomine, a marito Anno 1377. factam, paullo ante vidimus. Hujus porro Catharinæ mentio non nisi sero subinde recurrit Anno 1396, quo Hermannus II. in testamenti provisorii tabulis ( de quibus inferius ) commendat dilectam Dominam, & matrem suam Catharinam, Friderico comiti de Ortenburg.*

Evidem nullibi in documentis hanc *Catharinam* ( certam fane *Hermannii* prioris conjugem & *Hermannii II.* matrem) *Bosnensem* diserte, & una *Stephani filiam* compellatam invenio, nisi in *Chronico comitum Celejan.* pag. 622, ubi ita habetur: „ Tunc rex Hungariæ Lu- „ dovicus cognatam suam ( *Sein mumen* ) dominam „ *Catharinam*, veram heredem regni *Bosnae*, dedit con- „ jugem *Hermanno comiti*, ob virtutem ejus.) Attamen hæc puto me porro satis certo collegisse ex literis *Ste- phani Twertko*, quibus Anno 1427. regni *Bosnae*, he- redem nominat *Hermannum II.*, comitem Ciliæ, quem etiam *consanguineum*, & fratrem *dilectum* ibidem com- pellat. De his plura sub *Hermanno II.* Attamen ut hic dispici possit, quisnam *Catharinæ Bosnensis* fuerit pater, quove nexu *Hermanno II.* adstrictus fuerit *Stephanus Twertko*, & cur *Ludovicus rex Hungariæ* *Catharinam Bosnensem* cognatam suam apellarit; propono schema genealogicum quorundam *Bosniæ Regum*, quod di- gessi ex iis, quæ celeberr. *Du Fresne ex Madio, Lu-*  
*cio,*

cio, ORBINO, LUCCARI aliisque docte comprobavit,  
in libro de *Familiis Dalmaticis* pag. 328. 329. 330.

STEPHANUS Banus Bosniæ 1322.  
uxor ELISABETHA.

STEPHANUS 1326 MIROSLAUS. CONSTANTINUS. ULADIS. CATHARINA.

Princeps & Do- STEPHANUS Dabiscia TWARTKO Rex uxor ne-  
minus Bosnæ &c. nothus, Rex Bosnæ Bosnæ 1357. potis An-  
& Chelmi comes. 1391. † 1396. † 1391 dreæ co-  
† 1357. Ex binis uxori- mitis

ELISABETHA, uxor Ludovici DRAGA bus nulla pro- Chelmenſ.  
regis Hungariae fuit in Hun- les. Sed ex Vu-  
garia apud cosava concubina.

sororem 1383.

STEPHANUS TWERTKO  
Rex 1396, æmulos vincit.  
† 1443. sine prole.

Unica isthic occurrit *Catharina*, Stephani Bani Bos-  
næ filia, quæ forte primis votis Chelmenſi comiti juncta  
fuit ( nisi *Celejensis* is comes potius erat ) mortuoque  
paullo post priore marito, *Hermannu II.* Celejano in  
manus convenit. Attamen in hac rerum Bosnensium  
obscuritate, alia Stephani II, alteriusve Bosnensis prin-  
cipis, filia fortasse fuit *Catharina*, de qua scriptores  
nihil prodidere. Mihi quidem prior illa opinio om-  
nium probabilissima videtur

*Joannes Hermanni I. filius : & Mar-  
garetha uxor.*

Anno 1369. Joannis sponsam (ac deinde uxorem) Margaretham discimus ex hisce excerptis, ex datis literis, Urbani V. Pontificis mandato, quarum PUSCHIO teste, autographum in *Tabulario Græcensi Ladula* 39. N. 5. servabatur. „ Dispensatio Pontificis de matrimonio inter Joannem comitem Ciliæ, & Margaritham com. de Pfannberg, non obstante quarto consanguinitatis gradu, legitime contrahendo transmissa, per Marquardum Patriarcham Aquilejensem. Datum Aquilejæ, 26. Martii 1369.

Margaretham hanc Joannis comitis de Pfannberg filiam, ac Joannis Celejani viduam, in Tabulis Hermanni I. Anno 1377. conscriptis, superius exhibuimus. Denique Joannem fuisse Hermanni I. filium natu majorem, ex documento Anni 1371. deducitur, quo Hermannus I. pro se, filiisque suis Joanne & Hermanno II. &c. Gyrienfi Cartusia decimas quasdam tradidit. Vide dicta: de Anna, Friderici I. conjugie.

JOANNES vivere desit An. 1372. die 29. Aprilis. Ita, præter LAZIUM, *Chronicon Celejanum* utrumque, &

& quod ad annum, etiam Celejanum monum. Necrologium; sed dies illic (forte depositi Celejæ Joannis caderis) scribitur 18. Maji. Apud VALVASOR lib. XV. pag. 359. annus Necrologii: MCCCLXXV. vitiosus est, facili lapsu, & substitutione T<sup>e</sup> V. loco II.

## Hermannus II. Hermanni filius.

Anno 1371. cum fratre Joanne, atque Anno 1377. cum patre Hermanno I., Hermannum II. ex tabulis publicis produximus. Porro An. 1391. in arce sua Gurkfeld ad capellam S. Nicolai beneficium pro cancellano fundarunt comites Celejani Hermannus II. ac Wilhelmus. Tabulas fundationis latine conscriptas integras refert Baro Valvasor Carniolie Lib. XI pag. 235. quarum initium est: „Nos Hermannus ac Wilhelmus „patrueles, comites Ciliæ, eo tempore capitanei Carnioliae, & Marchiæ. . . .) Finiunt ita: „Datum „& actum Ciliæ, Anno Domini millesimo CCCLXXXX. „primo, in die B. Matthiæ Apostoli.

Anno 1396. Hermannus II. cum Sigismundo Hungariæ rege, ad infelicem illam contra Turcas expeditionem moturus, provide testamenti tabulas condit, atque in casum mortis, Friderico comiti de Ortenburg,

cognato suo, committit suos, suaque regenda, atque præscriptis ab se conditionibus ordinanda: commendat matrem suam *Catharinam*, ejusque jura: item providet *Elisabethæ de Modrusch*, destinatae nurui, seu sponsæ filii sui *Friderici*, atque sponsæ matri *Catharinæ*, viduæ comitis *Stephani de Modrusch* mandatque Ortenburgicō, ut nuptias ipsas celebrandas curet: eundem *Fridericum Ortenburgium* monet, ut maritum optimum deligat *Anne*, *Wilhelmi patruelis* sui filiæ, atque filiabus ipsiusmet *Hermannii* quam optimas confidere studeat nuptias. Denique pia legata, numerumque sacrificiorum pro anima sua constituit. *Datum Ciliæ in vigilia S. Joannis Baptiste in solsticio, Anno post nativitatem Christi millesimo tercentesimo & nonagesimo sexto.)* Apographum integri diplomatis habemus a *Cl. Puschio*, ex *Tabulario Græcensis aulae*, *Ladula* 39. fascic. 2. N. 20.

Omitto hic plura alia, uti: donatum firmatumque a Sigismundo rege Hermanno II. 1398. Varasdinum: præstataque vicissim Sigismundo captivo regi An. 1399. per Fridericum filium ab Hermanno obsequio, ceteraque *Chronico* servata, aut inferius memoranda. Anno 1407. *Hermannus II.* cum consensu filiorum *Friderici II.*, *Hermannii III.* & *Ludovici*, obligantium se etiam pro omnibus heredibus suis, fundat cœnobium ordinis Car-

tu.

tusiensium in marchia Vinidorum, in paroecia S. Bartholomæi, dioecesis Patriarchæ Aquilejensis, sub nomine *Throni sanctissimæ Trinitatis*, quodque comes fundator Neüstift appellat, atque vulgo *Pletriarch* seu *Pletariach* nominatur, a valle atque monte ita olim dictis. Testes: *Sigismundus Neühauser eques*: *Georgius de Silberberg &c.* Datum Cillyæ, post nativitatem Christi Anno millesimo quadringentesimo & septimo. Chartæ, quæ Germanice scripta est, integræ apographum Puschii industriæ debemus, alibi vulgandum.

Hæc fundatio Pletriacensis subinde ab eodem Hermanno, filiisque perfecta, auctaque est Annis 1410, & 1414. de quo VALVASOR Carniol. lib. XI. pag. 444. diploma memorat, datum feria sexta quasimodo geniti. Hodie Collegium Labacense Societatis JESU Pletriacum possidet.

Anno 1427. Stephanus Twertko, DEI gratia rex Bosnæ &c. attenta speciali amicitia, dilectione, & felicitate, quam spectabilis & magnificus consanguineus & frater noster, dilectus dominus Hermannus Cilia Segorique comes, regni Sclavoniae Banus ad nos, & regnum nostrum. . . . gessit. . . . eundem Hermannum ( si ipse Stephanus sine herede decesserit ) & omnes heredes

ma-

masculini sexus , declarat heredes regni Bosnæ , possidendi pleno jure , & ad ipsius placitum ordinandi : *Hujusmodi donationem cum sigillo & maiestate nostra fecimus communiri. Datum in castro nostro Bobawetz , secunda die mensis Septembris , Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo.*

Diploma istud fideliter descriptum , potentibus principibus & comitibus Cilejæ Friderico II. & Udalrico III. transmiserat Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis , ex privilegiorum suorum literis aliis , quibus insertum fuerat , transumtum , datumque est dictorum principum notario Antonio , feria proxima post Dominicam ramis palmarum , Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo .) Extabat inter Tabularii Græcensis documenta *Ladula 42. fasc. 18. N. 172.* unde PUSCHIUS eruerat .

Attamen Celejani Bosniam non obtinuere , cuius regni proceres , mortuo Stephano Twertko , alium sibi regem elegere Stephanum Thomascum . *Du FRESNE Famil. Dalmat. pag. 331.* Post multa præclare pieque gesta , elocatasque splendide tres filias , atque supernite e tribus filiis Friderico II. , diem extremum *Hermannus II.* clausit Anno 1434. die ( ut habet Chronicon Celejanum ) XIII. Octobris , sepultus in ecclesia fun-

fundatæ ab se Cartusiæ Pletriacensis. Posonium, ad Sigismundum regem, & ab anno præcedente jam Imperatorem, Roma reducem, venerat *Hermannus*, sacer ad generum, decrepita jam ætate. Ibi peramanter exceptus cum esset *Hermannus*, eumque principibus imperii adscribere destinaret Sigismundus, morbo correptus An. 1434. die S. Colomani expiravit. Ita *Chronicon Celejanum*. Alius annus in monumento necrologico *Celejano* legitur: A. D. 1432. *Vivere cessavit comes Hermannus, sepultus in Pletriach.* Sed annum vitiœ signatum hic fuisse, præter *Chronici*, parte sui priore sub *Hermanno* conscripti, auctoritatem, monstrat charta *Tabularii Græcensis Lad.* 39. N. 36., qua Fridericus junior dux Austriae (senior erat Fridericus Tyrolis comes) pro se, & patruele suo Friderico, ac pro suo fratre Alberto confirmat transactionem de limitibus factam inter ipsos, & comitem *Hermannum de Cili*, arbitris utrimque constitutis. Dubito: annæ dies XIII. Octobris fuerit dies obitus *Hermannii II.* annæ dies adventus Posonium? quia Sigismundus Imp. die VIII. Octobris hoc anno adhuc tum Ratisbonæ erat, si chartæ credimus relatæ apud *Lünig Cod. Ital. dipl. Tom. II. pag. 501.*

Mirum est, de conjuge *Hermannii II*di, fecunda licet trium filiorum, ac totidem filiarum matre, vix quidquam

*buc*

L

ad

ad nostram notitiam emanasse. Ex *Chronico Celejano*, & ex LAZIO eandem *Elisabetham dictam*, atque ex comitibus de Schaumburg oriundam fuisse, id solum novimus. Ejusdem *Hermannus I.* meminit in testamento illo anni 1377. providendo *Hermannii filii sui uxori*, Hinc tamen constat: *Hermannum II.* Anno 1377. jam connubio junctum fuisse. Vinculum hoc, *Elisabethae morte*, ante Annum 1396. solutum esse, deduco ex relato paullo superius testamento *Hermannii II.* facto An. 1396. ubi viventibus omnibus suis, etiam futuræ nurui, singulatim providet, nulla omnino uxoris suæ facta mentione.

Ex *Hermanno II.* & *Elisabetha* sex proles prodierunt: de tribus filiabus prius, deinde de tribus filiis sermo erit.

Prima filiarum se nobis offert *Elisabetha*, matris nomen sortita, quæ *Henrico IV. comiti Goritiensi* sponsa addicta est, promissa contradote 12000 ducatorum, vocaturque in illis literis *comitissa Elisabeth comitis Hermanni de Cili filia*: *Datum Villaci die Sabbati ante festum purificationis B. V. Mariæ Anno Domini 1400.*) Extant literarum harum excerpta in *MSto Repertorio Austriaco Parte II. fol. 594.*

*Elisabetham hanc deinde Anno 1407. aut sequente apud*

apud ANTONIUM NICOLLETUM in *historia MSta civitatis Austriae*, teste Cl. P. RUBEIS mon. *Aquil.* pag. 1047. occurere, dum eadem cum Henrico conjugé civitatem Austriae adiit; item Anno 1412. ab Henrico marito cautionem & pignora data *Elisabethæ*, de 32000. florēnis, nuptiarum titulo debitiss., ex *Repertorio Austriae* P. II. fol. 594. memoratum est in *Tentamine Genealogico-Chronologico Goritiensi* pag. 215. & 216. Eodem in libro non nisi conjecturam de obitu *Elisabethæ* fecimus, eundem post Annum 1424. (quo viva in documento occurrit *Elisabetha*) quidem certe collaudam esse, sed non nisi dubie Anno circiter 1426, quo mentio fit piarum fundationum ab *Elisabetha* factarum ad templum S. Michaëlis in valle Junonia, ut illuc singulis annis decantentur vigiliæ, ac legantur duæ missæ de *Requiem*, pro comitibus de Goerz & Cilii. Datum An. 1426. *Repert. Austr. P. II. fol. 558.*

Anno 1399. *Hermannii II.* filiarum altera, cuius nomen nusquam inveni, sponsa oblata est Nicolao Gara, futuro palatino Hungariæ, filio Nicolai Gara senioris, itidem olim Palatini. Ut occasio hujus conjugii, Nicolai Gara cum filia altera *Hermannii II.*, & vero etiam connexa occasio nuptiarum *Sigismundi* regis Hungariæ cum *Barbara*, *Hermannii II.* filia, luculentius pateat; brevis narratio de *Sigismundi* regis adversis casibus circa

Annum 1400. isthic præmittenda est. Atque illa quidem satis certa sunt: Anno 1392. mortua *Maria*, Ludovici regis Hungariæ, ex Neapolitanorum regum stirpe, filia, Sigismundi priore conjuge, procerum quorundam Hungarorum studia erga Sigismundum refrixisse, atque ad Caroli parvi, regis Neapolis partes inclinasse. Subinde Sigismundi odium & contemptus crevit, post infaustam contra Turcos expeditionem, Anno 1396. suscepit; erupit denique in impium facinus, quo proceres quidam Hungariæ Sigismundum regem suum in carcerem abripuerunt. Quo anno id factum sit (ex quo dependent binæ illæ nuptiæ filiarum *Hermannii II.*) recentiorum alii tacent, alii in Annum 1401. inclinant. Mihi visum est hac in re WINDECKUM, synchronum & magni momenti scriptorem, itemque *Chronicon comitum Celejan.* sequi, & verba ipsa, e germanico fideliter latine redditâ, proferre.

EBERHARDUS WINDECK in *historia Sigismundi*, *Menkenii scriptorum Tomo I.* pag. 1078. cap. 4. ita habet.  
 „ Dum numerabatur Annus millesimus tercentesimus no-  
 „ nagesimus nonus, tunc Hungariæ proceres ceperunt  
 „ legitimum dominum suum regem Sigismundum; fa-  
 „ mulos ejus spoliaverunt: advenas vero Polonos, Bo-  
 „ hemos, Teutonas, Svevos, Francones, & Rhenanos  
 „ e suis terris velut pecora domino destituta exegere.  
 &c.

„ &c. Ita rex Sigismundus captivus a suis met minist-  
 „ rialibus ductus est in arcem Blindenburg: inde porro  
 „ in domum Gara (*Garrawe*) ubi duodeviginti heb-  
 „ damadas in carcere exegit. Tum quidem marchio  
 „ Jodocus, & marchio Procopius de moravia, magno  
 „ cum exercitu Hungariam invasere. . . . Interea tem-  
 „ poris tractabat *Fridericus comes de Cille* cum Ni-  
 „ colao *Garra* comite, in cuius captivitate rex Sigismun-  
 „ dus erat (*in Germanico vitiose legitur: Graff Friede-*  
 „ *rich von Kolle, mit Garman Lolay*) ut Sigismundus  
 „ rex veniam daret omnibus, qui captivitatis suæ rei  
 „ essent. Ita liber evasit rex, atque a lacu Balaton per  
 „ Vindicas terras iter agens, Posonium est reversus.

Inter hæc liberationis Sigismundi pacta, a *Fride-*  
*rico, Hermanni II. filio*, ad finem deducta, fuisse spon-  
 salia filiæ *Hermannii II.* cum Nicolao *Gara*, *Chronicon*  
*com. Celejan.* pag. 679. hisce commemorat: „ Dum  
 „ hoc fiebat (*liberatio Regis*) illud etiam pactis transi-  
 „ gebatur, ut comes *Hermannus de Cilli* prædicto  
 „ magno comiti (*Nicolao Gara*) daturum se sponde-  
 „ ret conjugem filiam suam natu medium; atque ita  
 „ liberum præstítit regem Sigismundum, cui sine his  
 „ pactis in carcere moriendum fuisset.) Illud hic mo-  
 neo: in præcedente narratione in *Chronico Celejano* male  
 scriptum haberi *Ulrich*, loco *Friderich von Cilli*; *Fri-*

*dericum enim Hermanni II. primogenitum, non Ulrichum nepotem, hæc negotia pertractasse, & ratio temporum & WINDECKI auctoritas probat. Idem WINDECUS cap. XIX. pag. 1086. etiam indicat: nuptias inter filiam comitis Ciliae, & magnum comitem Hungariae conciliatas fuisse ob liberationem regis Sigismundi.*

*Itaque ipso Anno 1399. prima sponsalia pacta inter Nicolaum Gara juniores, & Hermanni II. filiam constituta fuisse, narrationis filium arguit. In Repertorio Austriaco P. III. fol. 765. adnotatum est: „In charta „Sigismundi regis Hungariae mentionem fieri filie Her- „manni comitis Ciliae, uxor Nicolai de Gara, magni „comitis Hungariae, Anno 1405.*

*Nicolaum Gara, Nicolai filium, a Sigismundo rege comitem palatinum (seu magnum comitem) Hungariae Anno 1403. renunciatum fuisse, eoque titulo insignem Nicolaum in Hungaricis diplomatibus Annis 1412. 1418. & 1431. occurrere, ostensum est ab anonymo Jesuita in libro, edito Tyrnavie 1752. hac epigraphe: Palatini regni Hungariae, bello paceque clarissimi. pag. 86. & 87.*

*Ad Barbaram redeamus, natu minimam Herman-  
ni*

ni *Ildi* filiam , quam grati animi causa , quod per Celejanos comites libertatem receperit , Sigismundus sibi sponsam ab *Hermanno II.* expetiit , atque si *BONFINII Decadis III. lib. II. pag. 381.* narrationi acquiescamus , tum primum *Barbaram* sibi expetiit Sigismundus , cum recens liberatus per Celejanum agrum , id est , per Vindicas terras , iter agens ad *Fridericum & Hermannum* divertit , atque inde Posonium concessit . En *BONFINII* verba : „ Hæc igitur Sigismundi fuit liberatio , qui ubi „ vinculis emissus est , pervenit ad Ciliae comitem , „ cuius viribus adjutus , quia sororem ejus *Barbaram* „ desponsavit , in Bohemiam rediit , & deinde Ungariam recuperavit . ) Consentit *Chronicon Celejanum* pag . 680. adjungitque : Hermannum præ modestia nuptias illas probare noluisse , eaque causa subornatos fuisse a Sigismundo rege complures Hungariæ proceres , qui id Hermanno denique persvaserint .

Quoniam *WINDECKO* teste , Anno 1399. captivitatem subiit Sigismundus , ( *BONFINIUS* id Anno 1401 die S. Vitalis factum putavit ) probabiliter eodem Anno 1399. liberatus fuit , si dies S. Vitalis sit 28. Aprilis ; aut certe eodem vel sequente anno Celejæ apud Hermannum fuit . Quare sponsalia *Sigismundi* , & *Barbaræ* circa Annum 1400. collocanda putavi , dilatis in Annum 1408. ob ætatem Barbaræ , ut opinor , nuptiis ,  
de

de quarum tempore scriptores plerique aut silent, aut errant: uti PFEFFINGERO, alias diligent ac erudit, contigit, qui circa Annum 1396. jam Elisabetham ex *Barbara & Sigismundo* natam perhibuit, *in notis ad Vitriarium. lib. I. Titulo V. pag. 688.* Errat & HAGECIUS in *Chronico*, qui captivitatem Sigismundi Annis 1402. & 1403. attribuit *pag. 644. & 645. edit. Germānicæ in fol.* Nos isthic rursum WINDECKUM *Cap. XIX. pag. 1086.* sequimur, qui ita scribit: „Numerabatur Annus mil-  
 „lesimus quadringentesimus & octavus, cum in Ser-  
 „viam & Rasciam ex Bosna (*Sigismundus*) migravit,  
 „atque cum Despota transegit. . . . Atque ita do-  
 „mum in Hungariam reversus est rex Sigismundus,  
 „eoque itinere uxorem duxit Barbaram, quæ Fride-  
 „rici comitis Ciliæ filia (*corrigē soror*) erat, quam-  
 „que Reginam renunciat. Hanc vero ea causa de-  
 „legit, quod comes Ciliæ filiam suam idcirco magnō  
 „comiti Hungariæ dederit, ut regem ex captivitate  
 „erueret.

Constat sibi WINDECKUS de anno harum nuptiarum 1408. dum sub anno 1403. *cap. XVII.* meminit: Sigismundum sibi subjecisse quosdam Ungariæ nobiles, quos inter erat Benedictus de Macra, quem in vincula conjici jussit; porro addit: eundem Benedictum, post sex annos, cum rex Sigismundus Barbaram

*Ciliensem duxisset, libertatem recepisse. Et sane vix serius, quam Anno 1408. nuptiæ illæ consummari poterant; quando ex HASELBACHIO constat: Elisabetham, Sigismundi & Barbaræ unicam prolem, Anno 1422. conjugio junctam fuisse Alberto Austriaco: in octavis octavarum Paschæ, quando & festum Prædicatorum Viennæ peragitur. HASELBACH lib. III. Chron. Austr. Hier. Pez script. Austr. Tomo II.*

Cetera Barbaræ Celejanæ tempora ex præstantissimo Bohemicarum rerum scriptore, P. BOHUSLAO BALBINO S. J. desumpti, nempe: 1436. Barbara suscepit coronam Bohemicam Pragæ die XI. Febr. Deinde 1437. die nona Decembris obiit Sigismundus, qui seditionem conjugem Barbaram captivam reliquit. Anno demum 1451. die XI. Julii mortem Barbara Mielnicii oppetiit, sepulta deinde Pragæ. BALBINUS Epitomes rerum Bohem. lib. V. pag. 497. Item Decade I. miscell. lib. VII. sect. II. pag. 190. Mielnicii obiisse scribit Barbaram, Koeniggrazii vero antea propudiose diu vixisse. HAGECIUS in Chronicô Bohem. pag. 775. edit. Lips. Mielnicii quidem etiam Barbaram deceplisse tradit anno eodem 1451. sed die Dominica ante S. Margarethæ, quæ eo anno incidit in sextam Junii, litera Domini cali C. Barbaræ vitia ÆNEAS SILVIUS hist. Bohem. cap. 59. & HAGECIUS insectati sunt; candem impie quoque

mortem subiisse cum Hagecio nonnulli prodidere. Attamen in Epistola CXXX. AENEAS SILVIUS ad Joannem de Carvial eodem Anno 1451. scripsit: *sunt qui bene, & ut Christianam decuit (Barbaram) spiritum emisisse dicunt.*

### *Fridericus II. Hermanni II. filius.*

Friderici hujus memoria Anno 1369. in testamento *Hermannii II.* & cum eodem fundata Cartusia Pletriacensi An. 1407. au<sup>t</sup>taque 1414, documentis publicis innovata est. Subinde circa An. 1421. uxoris suæ *Elisabethæ Modruschianæ* pertæsus *Fridericus*, fertur eandem Anno 1422. conjugali in thoro intermisso, captus amore pellicis *Veronicae* de Teschniz. Denique eandem *Veronicam*, e stirpe infimæ nobilitatis oriundam, palam conjugio sibi adstrinxit Anno 1425. Indignati eam ob rem *Friderico & Hermannus pater*, & Sigismundus regius affinis, eundem per Sigismundi famulos captum, Celejanæque arci inclusum aliquam diu castigarunt. Hæc ex *Chronico comitum Celejae* pag. 682. & 683. *Hahnii collect. monum. Tom. II.* itemque ex *AENEAS SILVII historia Friderici III.* pag. 54. & 55. desumplimus.

Plura de Friderico *Chronicon nostrum Celejanum*,  
fi

si DEUS volet , comprobata complectetur. Maximi  
vero momenti illud prætermittere non licet : Sigis-  
mundum Imperatorem , quos *Principis Imperii* honores ,  
etiam Hermanno II. Friderici patri , Anno 1334.  
præmortuo destinarat , eosdem Anno 1436. Pragæ ,  
Novembris die XXX. Friderico II. contulisse , extenso  
etiam ad ejus filium Ulricum , & heredes omnes , favo-  
re. Diploma Sigismundi repræsentatum habemus in  
*Chronico comitum Celejæ* pag. 753. &c. Item apud Lü-  
ning *Cod. Germ. dipl. Parte II.* pag. 547. Atque MStum  
inter collectanea , *Puschiana ex Tabulario Græcensi*. Di-  
plomatis hujus decursu , *nobiles liberos de Sonneck* jam  
antea a *quibusdam* decessoribus suis , ac nominatim a  
Carolo IV , *comites declaratos* fuisse Sigismundus me-  
morat ; quibus verbis innuitur etiam facta a Ludovico  
Bavaro prima Sounckiorum ad comitum dignatio-  
nem exaltatio. Enumerat deinde Sigismundus regio-  
nes & prædia Celejæ Principum , posteaquam etiam  
*Barbaræ* , Hermanni comitis de Cilia filiæ , uxoris suæ ,  
mentionem injecisset : præcipue deprædicat comitatus  
*Zilli* , cum *Seger* , *Ortenburch* , & *Sternberg* , qui , cum  
adjectis terris , ad Principatum constituendum satis  
ampli omnino videantur. Confert quoque Cæsar Ce-  
lejanis jus aureæ monetæ , in suis terris cudendæ , &  
cujusvis metalli , in regionibus suis effodiendi , &c.

Hæc *Principis* jura , titulumque Celejanis collata ægerrime tulere duces Austriaci , ac in primis Fridericus , Styriæ & Carinthiæ dux , qui amare querebatur , se non consulto , suis in terris , in quibus ipse Princeps esset , alium Principem a Sigismundo Cæsare institutum fuisse ; cum tamen Carolus IV. Imperator eosdem Celejanos , non nisi Austriacorum Principum consensu & precibus , vel *comites* renunciarit. *Chronicon Celejan. comitum pag. 688.*

 Querelarum exitus bellum fuit , varia fortuna , & multo Austriacarum terrarum damno , ab Anno 1437. interpositis , vel tentatis quibusdam induciis , ad annum usque 1443. extractum. Eiusdem quippe Anni 1443. æstate non pacem modo coaluisse , sed mutuæ etiam cūjusdam successionis pacta Austriacos duces inter , & Celejanos Principales comites constituta fuisse *Neostadii* , die *Veneris post assumptionem B. Virginis Marie* , contestantur tabulæ tres , quæ *Græensi* in archivo aulico repositæ erant , quarum amplior notitia non est hujus loci : uti & mutuæ successionis alia pacta An. 1437. Celejanos inter *Fridericum* , cum filio *Udalrico* , & Goritiensem comitem *Henricum* consignata. Datum *Draburg* feria V. post *Georgii* 1737. Ex Tabulario *Græensi*. *Lad.* 26. N. 132. epitomen eruit Puschius.

*Fridericus II. comes Celejæ grandævus decessit in*

ca-

castro Sonegg, 1454, die IX. Junii, seu pridie S. Margarethæ, uti recte adnotavit *Chronicon com. Celejæ* pag. 716. comprobat enim annum diemque Haselbach in *Chron. Austriae*, *Hier. Pez Tom. II.* pag. 874. his verbis. „ Senio confectus Fridericus comes Ciliæ „ de mense Junii diem suum extremum conclusit Anno „ no Domini 1454. (*ita certo reponendum loco 1445.*) „ quo & anno comes Goritiæ (*Henricus IV.*) finem „ vivendi habuit.) In editione Peziana legitur Anno 1445. & in adjecta variante lectione MCCCCLV. utrumque vitiose: quod ex *Chronico Celejano*, & ex adjecta ab HASELBACHIO, eodem anno Henrici Goritiensis morte comprobatur, quem sine dubio Anno 1454. extinctum esse, ostenderat *Illustr. comes CORONINUS in tentamine Genealogico - Chronologico com. Goritiæ*, pag. 210. &c.

*Necrologicum monumentum Celejanum* haud accurate, ut alias quoque, Annum 1453. & diem 19. Julii morti Friderici II. comitis assignat: recte tamen Celejæ in templo Minoritarum eundem sepulchro illatum fuisse, cum *Chronico Celejano* perhibet.

ÆNEAS SILVIUS de gestis Friderici III. pag. 54.  
Schilteri Parte I. atris coloribus Fridericum nostrum

expingit, cumque ultra octogenarium perdurasse, narrat; quin etiam *Idem: de Statu Europa cap. XV.* *Fridericum* nonagenarium appellat ad Annum 1447. cum Romam Jobelæi sacri causa is concessisset; sed pro eo quidem tempore proleptice nonagenarium dictum arbitror. Attamen cum Anno 1369. jam sponsa *Friderico*, et si puer, ut tum fieri solebat, *Elisabetha* destinata esset; eundem octogenario multo majorem decepsisse certum est.

De hac *Friderici* sponsa, *Elisabetha* nempe, *Stephani* comitis de Modrusch &c. & *Catharine* filia, quædam, de sponsa, ad Annum 1396, de uxore, ad An. 1422. dicta sunt, quo a marito imperfectam fuisse, fama vulgaverat, uti ex *Chronico* comit. *Celejæ* retulimus, quod, *Elisabetham* *Celejæ* in templo Minoritarum requiescere, nos docet. Indidem constat: *Veronicam* de *Teschniz*, antea pellicem *Friderici*, deinde ab Anno 1425. uxorem fuisse: at vero ab *Hermanno II*, invito nempe socero, post varias eidem structas insidias *Veronicam* diversos in carceres per vices conjectam, denique obnunciata ei *Celejæ* mortis sententia, in arce Osterwiz, *Celejani* agri, *Hermannii* jussu aquis præfocatam fuisse. Hæc e *Chronico* *Celejanorum* comitum. *Veronicae* hujus ad diem XVII. Octobris meminit *Necrologicum Seizensis Cartusia* manuscriptum; quare ea die, aut

aut anteriore aliqua, *Veronicam* periisse censeo; saepe enim in Necrologiis non tam dies obitus, quam depositionis cadaveris, aut annuae ad aras memoriae, adscribi solebat.

Libet hic comitum de *Modrusch*, & *Veglia* genealogicum tentamen adjicere, usque ad *Martinum*, quem primum de *Frangepanibus* compellatum inveni. Imperfectum equidem hoc esse specimen ipse agnosco; nescio tamen an alibi vel tantilla de *Modruschiis* notitia extet. Plurimum hac in re ex collectaneis *MStis R. P. SIGISM. Pusch. S. J.*, itemque ex libro *Lucii de Dalmatia & Croatia profeci.*

DUINUS de *Vegla*.

Anno 1113. *Lucius lib. VI. c. II. pag. 275.*

|          |   |
|----------|---|
| JOANNES  | Hi tres ( majores Bartholomaei )                  |
| GUIDO.   | jam demortui citantur Anno 1260.                  |
| HENRICUS | <i>Lucius pag. 175. &amp;c. lib. IV. c. VIII.</i> |

---

BARTHOLOMÆUS, mortuus occurrit 1260. *Lucius ibidem.*

---

SCHINELLA floret 1260. *Lucius ibidem. GUIDO.*

---

PETRUS 1260. BARTHOLOMÆUS. 1260. FREDERICUS. BARTHOLOM.

1255. 1260. 1255.

uxor AGNES (*Pusch.*) 1260.

Hæc de Schinellæ & Guidonis filiis *Lucius pag. 175.*  
*in diplomatis duobus An. 1260. uno Belæ IV. regis Hun-*

gariae: Ducas ac communis Venetiarum altero, in neutro nomen *Frangipanum* legitur.

---

**OROSPUS DUINUS Comes Veglæ, & Vinadoli,  
Modrussæ, & civitatis Segnæ.** 1315. Diploma Gyriense du-  
uxor URSA (Pusch) plex. Pusch.

---

**FRIDERICUS** iisdem titulis 1315. *Ibidem.*  
Uxor ELISABETHA. (Pusch)

---

**BARTHOLOMÆUS** 1359. Diploma Gyriense, Pusch.

---

**STEPHANUS** 1359. JOAN. 1352. 1359. uxor ANNA, Meinhardi VII.  
uxor CATHARINA. com. Goritiæ filia 1352. vidua 1385. me-  
moratur: 1392. vide tentamen Genealog.  
de comitibus Goritiæ pag. 198. 205. 206.

---

**NICOLAUS** 1406. 1444. 1459.  
Banus appellatur.

ELISABETRA

An. 1396. sponsa, dein uxor  
FRIDERICI II. com. Celejæ, oc-  
cisa 1422. sepulta Celejæ.

---

**STEPHANUS**

1440. 1444.  
Pusch excerpta  
ex Tabulario  
aulæ Græ-  
cenis.

MARTINUS

1440. 1444.  
Anno 1459. vocatur: Martinus de Frange-  
panibus, Segnie, Veglæ, Modrussie comes,  
in diplomate apud Pusch. quo vocat Nico-  
laum Banum, patrem earissimum.

Horum posteros novimus: JOANNEM, qui Anno 1452. Venetorum tutelæ se commisit, eisque 1480. *Vegiam* insulam (olim *Corridam*, deinde & *Vegiam*)

tra-

tradidit. Ita LUCIUS lib. V. ad finem. Circa An. 1560. florebat CASPAR, pater celebris NICOLAI qui An. 1616. Banus Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ dictus est, quique 1647. Viennæ mortuus, fratrem WOLFGANGUM CHRISTOPHORUM heredem reliquit; cum ipse duabus ex uxoribus, quarum altera Petri Erdödii filia fuerat, liberos non sustulisset. WOLFGANGI CHRISTOPHORI proles duæ hanc stirpem claudunt: FRANCISCUS CHRISTOPHORUS, prodigionis in Leopoldum Cæs. poenas capite luit Neostadii Austriæ 1671. die 30. Aprilis. Soror ANNA CATHARINA, conjux fuit Petri Zrinii seu Serinii, ejus prodigionis causa itidem Neostadii capite plexa: ANNA Græcii 1673. extincta est.

Sed redeamus ad Celejanos nostros, FRIDERICI II. frates, HERMANNUM III. & LUDOVICUM, omnes HERMANNI II. ex ELISABETHA, filios.

### Hermannus III, Hermanni II. filius.

Non repeto, quæ de hoc HERMANNO, cum patre & fratribus ad Annos 1407. & 1414. super fundatione Pletriacensis Cartusia memorata sunt. In adnotando anno obitus erravere LAZIUS lib. VI. de migrat. Gent. pag. 183, qui Annum 1446. item Necrologium Celejanum Puschianum, quod An. 1449, & Necrologium apud Valvasor, quod Annum 1444. morti Her-

manni III. tribuit ; nisi forte Hermannum, Ulrici filium, cum hoc Hermanno confudere. Errat quoque *Chronicon Celejanorum comitum Hahni* Tomo II. pag. 682. annum signans 1428, quo HERMANNUS III. prope locum Stain equo lapsus interierit. Verum enim vero ex ejusdem HERMANNI conjugae altera, Anno 1427. Septembris initio jam novo marito nupta, certum est : Hermannum III. circa An. 1426. vitam finivisse, die Sanctorum Abdon & Senen, seu XXX. Julii, ut *Chronicon Celejan.* & LAZIUS perhibent ; nisi dies hæc ad alium potius Hermannum spectet.

Iidem libri priorem Hermanno III. conjugem adscribunt *anonymam* ex stirpe de Adlisperg in Istria. Altero conjugio ducta est ab eodem BEATRIX, Ernesti Bavariæ ducis filia, despousata Salisburgi 1424. feria VI. post Pentecosten, teste charta *Tabularii Græensis*, *Ladula* 43. N. 61. de qua sponsa ita VITUS ARENPECK in *Chronico Bajoariorum lib. V. cap. LXVIII. pag. 439.* Bern. PEZ *Thesauri anecdota: Tom. III. Parte III.* „ Doma „ BEATRIX despousata fuit Hermanno comiti de „ Cilia, post cujus mortem duxit eam Johannes dux „ Bavariæ in Amberga, quos copulavit Johannes epis „ scopus Ratisponensis in opido Rettenburg, in die S. „ Ægidii Anno Christi MCCCCXXVII. in præsentia Er „ nesti genitoris, & Alberti fratri ejus, ducum Bavariæ.

Fi-

Filiam HERMANNI III. nomine MARGARETHAM, prioribus votis HERMANNO comiti de Montfort sociatam fuisse, prodidere LAZIUS, & VALVASOR lib. XI. Carniol. & *Chronicon Celejanum*. Secundo conjugio maritum nacta est WLADISLAUM ducem de Teschen & majoris Glogoviæ, in Silesia; plura de eadem occurrunt variis in chartis apud SOMMERSPERGIUM scriptorum *Siles.* pag. 671. & 699. ad Annos 1462. 1463. 1480. Occiso Anno 1456. ULRICO, postremo comite Celejano, Margaretha hereditatem sibi vindicare studebat, teste *Chronico Celejano* pag. 727, atque etiam teste diplomatico (cujus apographum integrum in *collectaneis Puschianis extat*) Georgii (Bodiebradii) regis Bohemiæ, qui in Fridericum III. Imperatorem transfert omnia jura in hereditatem Celejanam, quæ jura ipsi olim cesserat MARGARETHA nata de Cilii, ducissa de Teschin. Datum Corneüburg, die S. Lucie, anno regni quarto 1462.

MARGARETHAM 1480. die 22. Julii defunctam, sepultamque fuisse Glogoviæ, ex POHLII *Annalibus manuscriptis Wratislaviensibus*, docet SOMMERSPERGIUS pag. 699. ibidemque WLADISLAUM ducem An. 1459. in prælio, equo delapsum, paullo post obiisse ex POHLO refert; sed in *Tabula genealogica* pag. 671. annus obitus 1463. signatus est. In eadem *Tabula* apud SOMMERSPERGIUM pag. 671. & item pag.

701. ( quod incidenter hic animadverto ) haud recte Veronica de Teschniz , Friderici Celejani pellex , & dein uxor , Teschinensium ducum familiæ intruditur , sola fortassis nominis affinitate id svadente ; cum cetera reclament , quæ de Veronica suo loco diximus .

### *Ludovicus , Hermanni II. filius , & Hermanus illegitimus .*

De hoc *Ludovico* , præter ea , quæ ad Annos 1407. & 1414. dicta sunt de fundatione Pletriacensi , nihil se offert , nisi quod *Celejanum Chronicon* pag. 679. perhibeat : *LUDOVICUM* istum ( secundum pacta 1377. inita ) a Friderico comite de Ortenburg filii loco adoptatum , atque heredem institutum fuisse , aut potius designatum : id quod *LAZIUS* Anno 1420. adscribit. *Ortenburgum* An. 1422. jam *Celejanorum* fuit , ut probat *HVNDIUS Geneal. Bavar. Parte II.* pag. 21. & 22. Juvenem *Ludovicum* obiisse credibile etiam illud facit , quod nec de ipso , nec de sponsa , certi quidquam , post Annū 1414. occurrat ; & Annus obitus ejus 1417. in schemate quodam genealogico comitum *Celejæ MSto* adnotatus sit in *Collectaneis Puschianis* , sed sine adscripta auctoritate .

De HERMANNO , illegitimo HERMANNI II. FILIO ,  
non-

nonnulla suppetunt , quæ ex documentis Frisingensis  
 tabularii protulit MEICHELBECKIUS *historia Frisingensis*  
*Tomo II. pag. 186. &c.* etsi quædam de Hermanni  
 II. conjuge & filiis erronea referat. Nostrum vero  
 hunc *Hermannum* notum Frisingensi cathedræ impo-  
 situm fuisse Anno 1412. die 25. Julii , ex *documento*  
*Romano* ita MEICHELBECK adnotavit: „Anno MCDXII.  
 „ die martis VII. Cal. Augusti dispensatum est in æta-  
 „ te &c. cum Hermanno filio comitis Ciliæ. Eadem  
 „ die provisum est Ecclesiæ Frisingensi per mortem ,  
 „ de persona dicti Hermanni.) Porro ex *Actis Fri-*  
*singensibus apud MEICHELBECK Tomi II. parte altera N.*  
*CCC. XVI. pag. 222.* Certum est : HERMANNUM hunc  
 episcopum , HERMANNI II. filium fuisse (non WILHELMI ,  
 ut in recente *MSto Puschiana collectionis* legimus : ne-  
 que JOHANNIS Celejani , uti credebat LAZIUS *lib. VI.*  
*migr. gent. pag. 183.*) quando in diplomate germanico  
*Hermannus II.* ita loquitur : „ Nos Hermannus comes  
 „ de Cili & in Seger &c. profitemur palam his lite-  
 „ ris , pro nobis & heredibus nostris , quod reveren-  
 „ dus dominus , dilectus filius noster , dominus Her-  
 „ mannus episcopus Frisingensis nobis debitor factus  
 „ sit juste & fideliter , decem millium aureorum hun-  
 „ garicorum , quæ eidem urgente necessitate conce-  
 „ simus , etiam episcopatus sui causa , quod Romæ  
 „ pro confirmatione pecunia persolvenda esset. - - -

„ Datum Ciliæ Dominica Reminiscere in quadragesima,  
 „ ma , post nativitatem Christi anno millesimo qua-  
 „ dringentesimo & decimo septimo.

Anno 1414. Hermanno II. confirmanti fundationem Cartusiæ in Neustift in Pletriach , consentientes subscripsere filii FRIDERICUS , HERMANNUS JUNIOR , & LUDOVICUS , itemque HERMANNUS *episcopus Frisingensis* , quem tres illi comites *Fratrem* suum in tabulis appellant. Cetera de Hermanno episcopo apud MERCHELBECKIUM quærat , qui scire cupit ; idem auctor de postremo Hermanni anno , ac laudata vita ista scribit . Tomo II. pag. 194. „ Idem *episcopus noster* , „ qui toto novennalis regiminis sui tempore huic ecclesiæ cum insigni laude præfuit , eodem anno (1421) „ die 29. Martii authoritate Pontifícia ab eadem sede „ Frisingensi ad Tridentinam fuit translatus , qui nihilominus in catalogo Tridentinorum Episcoporum „ non invenitur ; haud dubie quia morte , ex infeli- „ cici herniæ sectione in patria sua ( Celejæ ) die 13. „ Septembris præventus , Tridentum nunquam adiit.

### *Ulricus III. Friderici II. filius.*

ULRICUS cum FRIDERICO patre majorem vitæ suæ partem non tam loco , quam tempore exegit usque

que ad Anni 1454. Junium mensem. Exteris enim in aulis illustria quædam , varia tamen fortuna , munera gessit. Mortuo sub Anni 1437. finem Sigismundo Imperatore , gener ejus Albertus Austriacus , Alberti IV. filius , Rex Hungariæ & Bohemiæ , atque anno sequente Rex Romanorum renunciatus , BARBARAM socrum , et si alia promeritam , libertate & quibusdam arcibus donavit : ULRICO comiti porro , FREDERICI Celejani , affinis sui filio , Bohemiam gubernandam Albertus , aut exente Anno 1437. , aut sequente commisit. Cum vero mox Anno 1438. accusantur ULRICUS captati per largitiones , & malas artes , regni Bohemiæ ; Albertus rex , quæ erat ejusdem cum ceteris virtutibus clementia , aliter arrogantem ULRICUM non castigavit , quam stipendiis subtractis nervum seditionis rescindendo , qua re coactus est ULRICUS Bohemia decidere. Hæc fusius enarrata proponunt WINDECK in hist. Sigismundi cap. 218. pag. 1277. Menkenii Tom. I. ) VITUS ARENPECK in Chronico Austriaco pag. 1250. script. Austr. Pez Tom. I. ) BONFINIUS Decade III. lib. III. pag. 405. &c. ) ÆNEAS SILVIUS hist. Bohemicæ cap. LV. ) ROO lib. V. sub initium , & alii.

Non attingo hic bella , interea a Celejanis principibus gesta contra alios duos Austriacos duces Fridericum , & Albertum ; cum Albertus non dum aperte Fri-

de-

derico fratri se inimicum ferret. Anno 1443. (uti de FRIDERICO II. agentes indicavimus) Celejani principes cum Austriacis ducibus, dominis suis, concordiam, & pacta quædam successionis constituere. Eodem Anno 1443. cum Goritiano comite Henrico IV. quædam feliciter transegit ULRICUS : primum gravissima dissidia inter ipsum Henricum comitem, ob foedos ejus mores, & uxorem Catharinam enata, tum quidem composita sunt Leontii in Tyroli die XXI. Octobris, concordia arbitris Johanne Georgio episcopo Brixinensi, & ULRICO comite Cilejæ. Confectis *ibidem* die XXIV. Novembris, novis conditionum tabulis ; deinde itidem Leontii Anno 1443. die mercurii post S. Lucia (die IX. Decembris) Henrici Goritiani filiolo natu maximo Johanni despondetur ELISABETHA, ULRICI Celejani filiola. Hæc omnia deduximus ex epitome tabularum trium, in *Repertorio Austriaco MSto Parte II. fol. 595. & 593.*  
*& 805.*

Denique hoc ipso Anno 1443. (haud dubie etiam Leontii) ULRICUS Celejæ comes, educator, ac veluti tutor constitutus est filiorum Henrici IV. comitis Goritiæ, Johannis, Ludovici, & Leonhardi ; spondet vero ULRICUS, præter fidelem in educandis comitibus operam, remissurum se Henrico patri petenti, ad unum vel alterum mensem, Johannem filium. RE-

PERTORII *Austr. Parte II. fol. 523.* Ejus rei meminit  
quoque *ÆNEAS SILVIUS de statu Europeæ, cap. XIV.*  
*pag. 107. Freberi a Struvio recusi Tomo II.* Item idem  
*ÆNEAS Epistola LIII. scripta ad Casparum Schlik.*

Prætermissois aliis ULRICI rebus gestis, *Chronico Ce-*  
*lejano* destinatis, præcipuum Ulrico gloriæ, ac denique  
interitus theatrum apertum est in Austria & Hungaria,  
quod hic paucis attingam. Fridericus III. Cæsar Au-  
striacus, quem Placidum, aut Pacificum appellant,  
Ladislaus posthumum, Alberti regis & Elisabethæ  
filium, Hungariæ, Bohemiæ & Austriæ heredem,  
diutius apud se, ut tutor, detinebat, quam proce-  
res earum terrarum vellent. In Austria seditiosis no-  
bilibus jam Anno 1449. aliquid turbantibus, latro-  
cinia invaluere: quibus compescendis Ulricus Celeja-  
nus belli dux constituitur. En verba HASELBACHII,  
synchroni scriptoris, *Chronici Austriaci pag. 861. Hie-*  
*ron. Pez Tom. II.*, „Datur capitaneus illustris ULRICUS  
„comes Cyliæ, cui & de parte serenissimi regis Ladis-  
„lai (nempe a Friderico Cæsare) septingenti equites ad  
„stipendum sunt deputati. . . .) Narrat deinde, virtute  
Ulrici & militum, seditiosos viatos, & castigatos fuisse.

Verum posteaquam ad repetitas procerum pre-  
ces cæsar Ladislaus regem ipsis tradere recusavit, con-

tra vero Anno 1450. & sequente , eundem apud se in itinere Romano detinuit ; ordines quidam Hungariae , Bohemiæ , & Austriæ foedere inito vi extorquere Ladislaum e Friderici Imp. , in Austriam reducis , manibus constituere . His factionibus Anno 1452. implicatum ULRICUM nostrum ita prodit VITUS ARENPECKIUS *Chron. Austr. pag. 1257.* „ Australes (*Austriaci*) „ interea svasore Ulrico Eyczinger , sumptis armis , præ- „ fides provinciæ , a Friderico institutos , vi pellunt : „ gubernatores ex se ipsis duodecim eligunt : sum- „ mam rerum Eyczingero committunt , incentorem- „ que novitatum alterum Ulricum , Ciliæ comitem , „ in societatem accipiunt .

Interea Fridericus Augustus , Roma reversus , Neostadium Austriæ Augusto mense 1452. se contulit , ubi ab Austriacis & Bohemis obsefus , discurrentibus etiam per Austriam armatis Hungaris , coactus est bonis pactis Ladislaum regem extradere , quem tamen Cæsar peculiariter curæ ac tutelæ ULRICI *comitis Ciliæ* commendavit , eidemque in manus dedit , die quarta Septembris , die Lunæ , ut ÆNEAS SILVIUS *histor. Friderici pag. 116.* vel ultima Augusti , ut VITUS ARENPECKIUS *pag. 1258.* his verbis adnotavit : „ Imperator interventu Sigismundi archiepiscopi Salz- „ burgensis , Carolique marchionis Badensis , Joannis

Fri-

„ Frisingensis , & Friderici Ratisponensis episcoporum,  
 „ Ladislauum e manu sua dedit , educens in propria  
 „ persona illum juvenem tredecim annorum , vel quasi ,  
 „ certis conditionibus & clausulis præsentavit , & fin-  
 „ gulariter in tutelam ULRICI comitis Ciliæ ( qui tunc  
 „ una cum dicto Ulrico Eyczinger , capitaneus to-  
 „ tius erat exercitus , & pueri avunculus , & affinis )  
 „ pridie Kalendas Septembbris , & decenti apparatu ,  
 „ exultante populo , Wiennam pretiosum illustris do-  
 „ mus Austriae palatum ingreditur .

ULRICUS ita moderatōr Ladislai regis constitutus ,  
 eundem An. 1453. in Hungariam deduxit Posonium  
 primum , deinde Budam : ubi cum pro suo arbitrio  
 ordinaret omnia , metum incussit Johanni Corvino  
 Hunyadi , regni gubernatori , ut is multis stipatus  
 Budam veniret . Inde enatæ inter Corvinos & Ulri-  
 cum suspiciones & odia .

Alius quoque ULRICO æmulus extitit , Ulricus  
 Eyczinger , qui adducto in invidiam ULRICO Celejano ,  
 quod ab ordinibus Austriae sumptum ad coronationem  
 Ladislai in Bohemia , paullo forte imperiosius , petiif-  
 set , effecit , ut ordinibus id clam urgentibus , & ju-  
 venc rege consentiente , ULRICUS comes eodem Anno

1453, non absque dedecore & periculo, aula exesse  
juberetur. Hæc fuse ÆNEAS: HASELBACHIUS: AREN-  
PECK: *Chronicon Celejanum &c.* Posteaquam varias  
afflictæ fortunæ medelas frustra tentasset ULRICUS CO-  
MES, anno sequente 1454, uti scribit VITUS AREN-  
PECK pag. 1261: „Per amicos clam regi (*Ladislao*)  
„conciliatur, reversusque, Wiennam magno & splen-  
„dido apparatu, mille ducens equites expeditos in ar-  
„mis, adit. Venienti rex obviam extra urbem fa-  
„ctus est.) Mortuo quoque hoc Anno 1454. die 9.  
Junii FRIDERICO patre, omnes Celejanorum terras so-  
lus ULRICUS obtinuit.

Anno 1456. Turcas Belgradi obsidione depulere  
Johannes Corvinus, & S. Johannes Capistranus die S.  
Magdalena; paullo post ambo victoriæ promotores  
decessere, Corvinus 10. Septembris, & Capistranus  
23. Octobris. Belgrado liberato præterat Ladislaus  
Corvinus, Johannis herois celeberrimi filius, Matthiæ  
frater, qui ULRICO Celejano infensus, ab aliis porro  
stimulabatur, ut metuens sibi ab ULRICO, eidem insi-  
dias strueret, atque inimicum præverteret. Ladislaum  
regem ULRICUS comes, & quater mille milites Belgra-  
dum deducebant autumno Anni 1456. Ladislaus rex  
Belgradensem in arcem cum ULRICO comite, & pau-  
cis

cis famulis a Ladislao Corvino honorifice receptus est,  
exclusis tamen regiis militibus.

Tandem advenerat dies ULRICO, & stirpi Celejanorum principum fatalis : ea erat dies nona Novembris, S. Theodoro sacra, feria tertia, seu dies Martis. Hanc diem necis ULRICI, adversus quosdam auctores dissentientes, constituo ex consensu scriptorum coævorum : THOMAS EBERNDORFERUS de HASELBACH, *Chron. Austr. pag. 221. diem quo Theodori festivitas agitur. assignat.* Duo adstipulantur *Chronica*, alterum comitum Celejanorum, *Hahnii Tomo II. pag. 725. collect. docum.* quod diem martis proximum ante S. Martini memorat : alterum UNRESTI *Chronicon Austriacum Hahnii Tomo I. pag. 546.* etiam recte quidem diem martis Anni 1456, nominat, sed male addit : die decima Novembris ; nam Anno 1456. litera Dominicalis erat C ; quare dies martis erat IX. Novembris, eaque ante festum S. Martini, ac denique eadem S. Theodoro sacra : ut ita tres characteres pro die IX. Novembris pugnant.

Qua vero ratione ULRICUS noster Belgradi ad eam diem occubuerit, posteaquam quinque coævos scriptores, nonnihil variantes, consuluisse, illud certi

elicui : ULRICUM comitem a Ladislao Hunyade , aliisque conjuratis Hungaris , aut in paratum consiliis locum accitum , aut in suomet conclave obrutum , dum a verbis ad enses ventum est , strenue sese defendantem , concisum denique occubuisse , rege Ladislao interea sacris assistente. Ambigua quæ sunt , in *Chronico Celejano* discutientur ex Haselbachio : Aenea Silvio : Vito Arenpeckio & *Chronico comitum Celejanorum*. Celejæ in sacra Minoritarum æde sepultas fuisse ULRICI exuvias , ex Hungaria a Ladislao rege eo missas , testatur *Chronicon Celejan. comitum* , & monumentum necrologicum Celejanum.

Conjux ULRICI III. unica memoratur CATHARINA , Georgii Serviæ despotæ filia , ejusque mentio facta est ab AENEA SILVIO ( Freheri Tom. II. ) de Europa cap. IV. pag. 93. „ Uxor Lazari ( Despotæ Serviæ , fratri CATHARINÆ ) relicta Hungaricas opes implorat : nec „ Catecuzina ( ita Catharina appellatur a matre Can- „ tecuzena ) Ulrici comitis Ciliæ quondam uxor , ac „ Georgii filia , portionem hereditatis desperat. ) In- claruit CATHARINA præcipue post mariti ULRICI inter- itum , dum competitores viginti quatuor ( ut AENEAS loco citato cap. XV. pag. 108. ) hereditatem Celejanam captabant , quorum aliquos *Chronicon comitum Celejan.* pag. 726. & 727. aliquos item AENEAS SILVIUS Epist.

266. enumerat. Verum CATHARINA , coacto procerum Celejanorum senatu , eorum consensu decrevit: nemini quidquam antea de Celejanis provinciis concedendum , quam & CATHARINA vidua , & fideles defuncti Ulrici clientes , ac famuli , sibi debita receperint , atque indigna ULRICI cædes vindicata fuerit. Hæc Anno 1456 , aut sequente gesta , quæque cum Friderico Imperatore acta sint per Witoveczium , equitem Bohemum , & Celejanorum principum strenuum belliducem , Chronico nostro *Celejano* inferenda , isthic præterimus ; quæ qui nosse cupit , *Chronicon comitum Celejan.* *Hahnii Tom. II. collect. monum. pag. 748. &c.* adeat , & *Epistolam* 266. *ÆNEÆ SILVII* , *An. 1457.* ad *Alphonsum Aragonium* de morte ULRICI Celejani , actisque post ejus obitum , conscriptam.

Antequam ad proles ULRICI III. & CATHARINÆ delabar , paucis fratres duos ULRICI III , filios FRIDERICI II. expediam. Filium FRIDERICI II. fuisse etiam FRIDERICUM III , colligo ex verbis istis *Necrologii MSti. Cartusie Seizensis* ad finem adscriptis : „ In capitulo „ jacet comes Fridericus , filius comitis Ciliæ , sub „ signo crucis : qui obiit juvenis , absque uxore . ) Nomen patris hic non expressum , satis indicat : filio idem nomen fuisse , quod patri ; alibi enim , ubi diversa sunt nomina , ambo , exprimuntur. Illegitimum quo-

quoque FRIDERICO II. filium JOHANNEM fuisse, didici ex *Epitome documenti*, relata inter *collectanea manuscripta Puschiana*, ex *Tabulario aulae Græc. Ladula* 39. N. 74., quæ ita profertur: „ Nicolaus V. papa JOHANNI, spurio „ FRIDERICI comitis Ciliæ filio, jus legitimorum nata- „ lium tribuit, Romæ ad S. Petrum XVII. Kal. De- „ cembbris an. MCCCCXLVII.

*Ulrici III. proles ex Catharina: Hermannus IV. Georgius. Elisabetha.*

Anno MCCCCLII. extinctum fuisse ULRICI filium HERMANNUM IV., annos XII. natum, prodit *Monumentum Necrolog. Celejanum*, in *Puschiano apographo*, & apud *VALVASOR Carniol. lib. XV. pag. 359.* Verum *Chronicon Celeja comitum, Hahnii Tom. II. pag. 696.* annum obitus MCCCCXXXIII. designat: idem *Chronicon MStum Biblioth. Vindobon.* Annum MCCCCXLIII ponit HERMANNI IV. postremum. Vereor, ne *Chronicon Celejanum* annum obitus HERMANNI II., cum anno simili HERMANNI IV. confuderit.

Incertus quoque est annus, quo alter ULRICI III. filiolus, ipsis in cunis expiravit, GEORGIUS nomine. Annum ejusdem mortis MCCCCXXIII. adscripsere Chro-

nicon com. Celejæ , & item LAZIUS , diemque Kalendas May , Sanctis Philippo & Jacobo Apostolis sacram. Eandem diem , sed annum aliud , assignat *Monumentum Necrologicum* , nempe MCCCCXLIII , ut est in *apographo Puschiano* , sed apud VALVASOR MCCCCXLIV .

Filia denique ULRICI III , & CATHARINÆ sese hic sūlit ELISABETHA , quæ parvula , sponsa destinata fuit JOHANNI , filio natu maximo Henrici IV. comitis Goritiæ , quem sub tutela sive moderamine Ulrichi Celejani fuisse , superius diximus. Documenta duo in *Repertorii Austriaci parte II. fol. 503 , & 769* , synoptice memorantur : prius sponsalium pacta continet , constitutorum inter comitem Johannem de Goerz , & comitis ULRICI de Cily filiam , dominam ELISABETHAM , postquam illa congruam ætatem attigerit : datum An. 1443. Alterum An. 1444. conscriptum iteratam confirmationem eorum sponsalium continet , qua ULRICUS comes de Ciliis fidem facit , quantum ex parte sua fuerit , staturum se subscriptis nuptiis inter comitem JOHANNEM de Goerz , & filiam suam celebrandis.

Non processisse tamen has nuptias , atque disso-

lita fuisse pacta illa , colligo ex *Chronic o Celejano* ,  
 quod pag. 696. ita de ELISABETHA nostra : „ Ex ea  
 „ dem Despotæ filia (*Catharina Georgii*) comes UL-  
 „ RICUS de Cili filios duos suscepit , comitem HER-  
 „ MANNUM , & com. GEORGIUM , & unam filiam , co-  
 „ mitissam ELISABETH dictam. . . . Comitissa ELISA-  
 „ BETH tenella in ætate destinata nuptiis ac despontata  
 „ fuerat Joannis Hunyadis , gubernatoris Hungariæ ,  
 „ filio Matthiæ , sed antequam ætatem nuptiis matu-  
 „ ram attingeret , puella decepsit.

Hac de re ad Annum 1448. egit BONFINIUS ,  
*Decadis III. libro VII. pag. 475.* ubi Johannem Hu-  
 nyadem a Georgio Serviæ despota detentum memo-  
 rat , & subjungit : „ Conventum tamen inter eos ,  
 „ ut ea Gubernator (*Johannes*) conditione dimittere-  
 „ tur , uti Matthias ejus filius , Despotæ gnatam (*for-*  
 „ *te gnatæ filiam*) comitis Ciliæ (*Friderici*) neptem  
 „ uxorem duceret. ) Ita potius accipiendum BONFI-  
 NII hunc locum censeo , quam olim acceperam de  
*filia Georgii* , deque novis , post obitum ELISABETHÆ  
 Celejanæ , Matthiæ Corvini pactis sponsalitiis. Vide-  
 ri potest *Tentamen Genealogico-Chronolog. comitum Go-*  
*ritie pag. 225.*

Ad extremum , ne quis fortasse typothetæ , ut opinor , errore deceptus , ULRICO III. Celejano , & CATHARINÆ , alteram filiam attribuendam putet , matris nomine CATHARINAM dictam , indicandum isthic , & emendandum duxi locum libri præstantissimi CAROLI DU FRESNE *de familiis Dalmaticis* §. IX. pag. 338. edit. Parisinae 1680. ubi ita lego : „ Ulicus denique „ a Ladislao , Johannis Hunyadis filio , in Belgradi urbe „ interfectus fuit Anno MCCCCLVII. unica relictæ „ filia Catharina , extincto fratre Lazaro , Serviæ de- „ spotatus partem frustra vindicavit.

Sed in his primum loco MCCCCLVII. certo reponendus est Annus MCCCCLVI. Deinde loco *uni- ca relictæ filia Catharina* , scripserit auctor : *cujus re- licta vidua Catharina vel: Vidua relictæ , Georgii filia , Catharina.* Nam ULRICI Celejani filia fratrem *Laza- rum* non habuit , sed CATHARINA , uxor ULRICI , Ge- orgii despotæ filia ; neque filiam *reliquit ULRICUS III* , alioqui illa hereditatem Celejanam etiam sibi vindicasset ; cujus tamen nulla uspiam mentio se offert. Demum PII II. seu ÆNEÆ SILVII locum ibi citat DU FRESNE , qui tam in *descriptione Europa* , quam in *Epistola 266.* ULRICI III & ultimi Celejæ comitis , conjugem CA- THARINAM appellat : filiam Catharinam uspiam appellat.

Itaque neminem Celejanorum e Principum sanguine Ulrico III. superstitem agnosco , præterquam MARGARETHAM , HERMANNI III. filiam , atque priore conjugio Hermanni Montfortii : altero Wladislai ducis Tessinensis conjugem , cum qua Celejanam stirpem omnem Anno MCCCCCLXXX. extinctam fuisse , paullo superius memoravimus.



AD-

## ADDENDA, & EMENDANDA.

*Cum typographicus hujus Opusculi labor jam prope finem esset, inspicere licuit chartas duas autographas; inde desumpsi emendanda quædam, quæ, cum aliis corrigendis, hic saltem indicanda duxi.*

**P**ag. 28. lin. 17. Post verba: scutum quartum. *Hac adde: Attamen in sigillis appensis chartæ autographæ, datæ Anno 1306, de qua inferius, Leo non comparet: neque in scuto Ulrici comitis de Heunnburch, in quo tres stellæ tantum visuntur: neque in scuto Ulrici de Sewnnekke, in quo due trabes horizontales duntaxat signatæ sunt. Ea in charta Rudolfus & Stephanus, palatini comites Rheni, Albertus Goritiæ comes, prædicti duo Ulrici, aliquique nobiles vades egere pactorum nuptialium, inter Henricum ducem Carinthiæ, & Annam Wencezlaï, Bohemiæ regis, sorum rem constitutorum. Actum & Datum in Landzhuta. Anno Domini millesimo CCC. sexto. XXVIII. die Februarii, Indictione quarta.) Serius in scuto comitum Celejæ Anno 1440. 1455. tres stellæ Heunburgicæ præcipuo loco, due trabes Sounekiaæ secundo loco signatæ sunt: immo in scuto Hermanni III. Celejani Anno 1427. solæ tres stellæ visuntur apud HUEBER Austriæ Illustratæ Tab. XXII. N. 12.*

Pag. 49. linea ultima. Ad finem adde: Anno  
1262.

Pag. 50. post lineam 14. adde: Anno 1306. Ul-  
ricum inter vivos fuisse, patet ex charta superius me-  
morata ad pag. 28. & pag. 37.

Pag. 58. lin. 5. loco: Annis 1348. 1354. pone  
Anno 1353.

Pag. 61. lin. penultima diemque, adde: Octavam.

Pag. 64. lin. 9. corrige mancam sententiam ita:  
Coronam recepit Anna 1402. die 5. Februarii, obiit  
1416. 21. Martii.

Pag. 67. lin. 5. a fine. Post verba: Zu den,  
adde: Dorf genannt.

Pag. 68. lin. 3. loco Grot, pone: gehet.

Pag. 69. lin. 2. Leibs - Erben, corrige: Lehens;  
Erben.

Pag. 69. lin. 8. Von ihn, corrige: wir ihn.

Item lin. 10. getreulichen, corrige: gerulichen.

Pag. 70. lin. 7. wappen, corrige: wesen.



# MATERIA TENTAMINIS PUBLICI,

QUOD IN

- COLLEGIO REGIO THERESIANO  
SOCIETATIS JESU

EX

Anni hujus scholaftici Prælectio-  
nibus quovis, cui libuerit, periclitante  
subibit

REVERENDISSIMUS & ILLUSTRISSIMUS

D. EDMUNDUS

L. B. A BRABECK,

Ecclesiarum cathedralium Hildesiensis, &  
Halberstadensis Canonicus.

Philosophiæ, Matheſeos, & Historiæ in  
ſecundum annum Auditor.

*Mense Septembri, Die*

*MDCCCLV.*



VIENNÆ AUSTRIÆ,  
TYPIS GHELENIANIS.



## *Ex Introductione in Historiam Quæstiones.*

**Q**uid est Historia? Quæ divisio ratione  
materiæ, & temporis?  
Quænam sunt præcipue necessaria ad per-  
fectam Historiam?

Veritas Historiæ quibus monumentis ni-  
titur?

Quænam præter Historicos monumenta auc-  
toritatem faciunt, & qualia certo ævo magis  
accommodata?

Quomodo Historia fit plena, & perspicua?

Quid Genealogia, & Character? Unde  
Genealogia petenda?

Quotuplex utilitas ex Historia?

*Ex Cosmographia  
Questiones.*

**Q**uid Cosmographia? sub qua ratione mun-  
dum considerat?

Quotuplex est solis motus? Quid poli, &  
unde eorum nomina?

Quid est Circulus maximus? Quot eorum  
considerantur in sphæra artificiali?

Quid Ecliptica? cur ita dicitur?

Quid Æquator, quæ ratio nominis, quis  
situs respectu polorum?

Quid Zodiacus, cur ita dictus, cur tam  
latus?

Quis signorum numerus, nomina, ordo?

Quomodo quatuor anni tempora dividit?

Quid est meridianus, cur ita dictus? quot  
meridiani? quid meridianus universalis in  
sphæra?

Quid Horizon astronomicus? unde sic  
dictus?

Quid Zenith & Nadir? Quid circulus ver-  
ticalis? Quis usus verticalium?

Quid altitudo visa & vera? Quid altitu-  
do meridiana?

Quid

Quid latitudo loci, & altitudo poli?

Quid linea meridiana?

Quid declinatio solis, & stellarum, & quotuplex?

Quid longitudo loci, & differentia longitudinum?

Quid sunt circuli minores in sphæra? quot & quales Zonæ?

Quomodo appellantur incolæ Zonarum ratione umbræ meridianæ, quam projiciunt?

Quid Antipodes? Antœci? Pericœci?

Quid Sphæra recta? parallela? obliqua?

Quod fundamentum opticum mapparum geographicarum?

Quænam signa in mappis adhiberi solent?

Quid indicant?

### Theorema.

Demonstrare latitudinem loci, & altitudinem poli esse æqualia.

### Problemata.

Invenire, & demonstrare inventam lineam meridianam.

Ope declinationis solis vel stellarum, latitudinem loci invenire.

Altitudinem poli ope stellarum polo vicinarum invenire.

Invenire longitudinum differentiam per ecclipses.

Collocare sphæram artificialem ita, ut pro dato quovis die possit sciri longitudo diei & noctis, altitudo solis, quæcunque declinatio solis, amplitudo ortiva, & occidua.

Construere sphæram artificialem, & circulos, item loca particularia in ea designare.

Sphæræ portiones in charta ita delineare, ut globo adglutinatæ, superficiem sphæræ cum suis circulis exhibeant.

Ad leges perspectivæ gradus in mappa geographicâ dividere.

Delineare mappas generales, & æquatoriam, & polarem.

Mappam regionis particularis, non valde magnam, construere, aut jam factam talem mappam majori vel minori forma exhibere.

Data latitudine & longitudine quævis loca mappis inscribere.

E map-

E mappis jam factis latitudinem, longitudinem, & distantiam geographicam locorum  
cruere.

Scalam milliarium describere.

*Ex Chronologia  
Quæstiones.*

**Q**uid est Chronologia? quid tempus medium?  
quid verum?

Quis solis motus consideratur a Chronolo-  
gia? quid dies artificialis & naturalis? quæ di-  
visio partium diei?

Quid annus solaris tropicus, Julianus, ci-  
vilis, fixus & vagus?

Quotuplex motus lunæ consideratur in  
Chronologia? quid mensis synodicus, & perio-  
dicus? quæ præcipuæ phases mensis synodici?

Quid Ecclipses solis, & lunæ, & qua pha-  
si fiunt? quando recurrent?

Quid menses civiles, pleni, & cavi?

Quid annus lunaris fixus, & vagus?

Quis, quando, & quomodo, correxit Ca-  
lendarium Romanum?

Unde

Unde latina mensium nomina, item germanica sunt orta?

Exponatur ratio veteris Calendarii Romani, item mensis divisio, & dies numerandi ratio?

Quid hebdomas, quæ ejus divisio in Ecclesia, apud Judæos, Gentiles, Germanos?

Quid Olympias, Lustrum, Jobelæum, Saculum, annus magnus Ægyptiacus?

Unde initium diei pendet? item initia mensium, & annorum?

Quid Epochæ? quæ celebriores epochæ ante Christum natum?

Quid cyclus lunæ?

Quid cyclus solis?

Quid cyclus indictionis?

Quando Paſcha est celebrandum? & quo & quando ejus tempus definitum?

Quando Calendarium est correctum, & a quo? qui errores irrepererunt ob cursum solis, & lunæ? quomodo correcti?

Quid respondendum impugnatoribus Calendarii Gregoriani?

Pro-

## *Problemata.*

**R**educere annos alterius Epochæ, ad annos æræ Christi.

Invenire cyclum lunæ, literam dominicalem, & cyclum indictionis.

Dato anno Christi invenire Pascha Calendarii veteris.

Dato anno Christi invenire Pascha Calendarii novi.

## **EX HISTORIA.**

*Ab orbe condito ad æram Christi*

### *Quæstiones.*

**Q**uo anno periodi Julianæ, & quo ante æram Christi mundus conditus? certusne annus orbis conditi? quo ordine dierum omnia creata?

Quæ de situ paradisi celebriores sententiae? quænam? & cur videtur probabilior?

Qui Patriarchæ ante diluvium? quæ causa, quod tempus diluvii? quæ artum initia?

Qui Patriarchæ post diluvium?

An & cur tempus Patriarcharum post diluvium

vium 760. annis longius videtur statuendum,  
quam illud Petavius definiverit?

An & cur Cainan omittitur inter Patriarchas post diluvium?

Quæ præcipue notanda ab Abrahamo usque ad exitum Israëlis ex Ægypto?

Quæ initia historiæ profanæ? e quibus auctoribus petenda? quæ regna antiquissima?

Exitus Israëlis ex Ægypto quomodo se habuit? & peregrinatio per desertum?

Quo anno cœpere Hebræorum Judices? quæ ex illorum historia præcipue notanda?

Quæ initia regni Israël? cur & quomodo divisum regnum?

Quando cœpta captivitas populi Israël, quando finita? qui instauratores urbis & templi? quæ apud Judæos reipublicæ forma usque ad Machabæos?

Quæ Monarchiæ Assyriæ vices?

Quæ Monarchiæ Persicæ initia? quæ in ea præ reliquis memorabilia?

Res præcipuæ ab Alexandro M. gestæ quænam? quid ab ejus obitu tot regnis factum?

Quæ Romæ primordia, vices, & incrementa!

Quæ prima rudimenta scientiæ numariae  
veteris tum quoad numismata græca regum, &  
urbium græcarum, tum quoad latina familia-  
rum usque ad Augustum?

Quis Judæorum status sub Machabæis, Po-  
lemarchis, Hierarchis, & Regibus?

## EX OPTICA, CATOPTRICA, ET DIOPTRICA

*Quæstiones.*

**Q**uid est, & qua de re agit Optica, Ca-  
toptrica, Dioptrica?

Quid visio directa, reflexa, & refracta?

Quæ lex reflexionis, & refractionis ra-  
diorum?

Quid angulus incidentiæ & reflexionis; in-  
clinationis, refractionis, & refractus?

Quibus partibus constat oculus humanus?

Qua ratione imago in oculo depingitur?

Qui Presbytæ, qui Myopes dicuntur? unde  
corum vitia oriuntur?

Qualis esse debet oculi constitutio, ut ob-  
jecta tam remota, quam vicina distincte vi-  
deantur?

Cur objecta vicina citius ; remota tardius  
moveri ; remotissima vero (licet celerrime mo-  
veantur) penitus quiescere videntur ?

Cur objecta duobus oculis visa non appa-  
rent gemina ?

Qui sunt effectus præcipui speculorum con-  
cavorum , & vitrorum lentiformium ?

Quæ specula & vitra caustica maxime ce-  
lebrata ?

Quæ præcipua telescopiorum , & microsco-  
piorum genera ? quibus partibus constant sin-  
gula ?

Quid est , & quomodo construitur camera  
obscura , lucerna magica , aliæque cistulæ tum  
catoptricæ , tum dioptricæ ?

### Theoremata.



EX quolibet objecti visibilis punto in pupil-  
lam incidit conus radiosus , cuius vertex in  
objecto , basis in pupilla .

Si distantia objecti est major quam 140. pe-  
dum , radii hunc conum constituentes sunt ad  
fensem paralleli .

Lumen per radios divergentes in medio  
uni-

uniformi propagatum decrescit in ratione inversa  
duplicata distantiarum.

Quodvis corpus opacum, dum illuminatur,  
post tergum umbram facit, lumini, a quo col-  
lustratur, adversam.

Si corpus illuminatum, & illuminans sunt  
sphæræ ejusdem magnitudinis, umbra cylindrica;  
si sphæra illuminans est major, conica; si de-  
mum illuminata est major, calathiformis erit.

Si sphæra illuminans major est quam opaca,  
illuminatur pars hemisphærio major.

Quæ sub eodem vel æquali angulo videntur,  
apparent æqualia.

Diversæ magnitudines sub æquali angulo  
conspectæ sunt ut distantiae.

Si imagines duorum objectorum in oculo  
contiguæ sunt, ipsa quoque objecta contigua  
videntur.

Ejusdem plani infra oculum positi partes re-  
motiores apparent vicinioribus altiores.

Si oculus intra parallelas ponatur, parallelae  
versus plagam oppositam convergere videntur.

Quorum pupilla nimium ampliata satis  
coarctari non potest, ii in luce debiliori melius  
vident, quam in clariori.

Myo-

Myopibus ad distincte videndum minor lux sufficit, quam Presbytis.

A quolibet puncto speculi reflectuntur radii ex qualibet objecti parte incidentes.

In speculo quodlibet objecti punctum videtur in concursu catheti incidentiae, & radii reflexi.

Imago post speculum planum I<sup>mo</sup>. erecta: II<sup>do</sup>. ejusdem cum objecto magnitudinis: III<sup>tio</sup>. tanto intervallo remota videtur, quanto ipsum objectum ante speculum distat.

In speculo sphærico convexo imago I<sup>mo</sup>. erecta, II<sup>do</sup>. objecto ipso longe minor, III<sup>tio</sup>. intra centrum & superficiem speculi apparent.

In speculo sphærico cavo pro diverso situ tum oculi, tum objecti imago jam erecta, jam inversa, jam intra, jam extra speculum videtur.

In speculo cylindrico verticaliter erecto objecta apparent in sua altitudine, sed admodum gracilia, in eodem vero horizontaliter collocato objectum apparent in sua latitudine, sed admodum curtum.

Radii cum axe paralleli in speculum sphæricum cavum incidentes, si punctum incidentiae 60, gradibus, aut amplius ab axe distat, post reflexio-

flexionem in ipsam speculi superficiem relabuntur.

Si vero punctum incidentiae minus quam 60. gradibus distat ab axe, radii paralleli post reflexionem cum axe concurrunt.

Hoc punctum concursus seu focus, in quem radii cum axe paralleli colliguntur, semper minus distat a speculo, quam quarta parte diametri.

Etiam radii convergentes, & divergentes ope speculi cavi sphærici colliguntur; horum quidem focus magis, illorum minus distat a speculo, quam focus radiorum parallelorum.

Speculum cavum parabolicum omnes radios axi parallelos sub quacunque latitudine incidentes ad eundem focum reflectit.

Si in foco speculi cavi ponatur lumen, radii in speculum incidentes tum cum axe, tum inter se fiunt paralleli; si ponatur intra focum, & speculum, post reflexionem divergunt; si intra centrum & focum, convergunt.

Radius lucis in quodcumque vitrum, vel aliud diaphanum perpendiculariter incidens non refringitur.

Radius oblique per planum vitrum transiens  
in

in ingressu & egressu ita refringitur, ut post duplarem refractionem radius refractus incidenti sit parallelus.

Hæc gemina refractione objecta altiore, quam sint, loco constituit, figuram tamen non mutat.

Radii cum axe paralleli in lentem convexam incidentes ita refringuntur in transitu, ut post lentem cum axe concurrant.

Distantia foci in lentibus plano-convexis integrum fere diametrum; in utrinque convexis semidiametrum; in sphæra integra quartam diametri partem adæquat.

Etiam radii convergentes, & divergentes colliguntur post lentem, hi quidem in majore, illi in minore a lente distantia, quam paralleli.

Lentes convexæ objectorum, quorum radios recipiunt, imagines inversas post se, intervallo foci deponunt.

Quo minoris sphæræ segmentum est lens convexa, eo vicinior ipsi lenti est focus.

Pro diversa tum oculi, tum objecti a lente distantia, imago jam erecta; & aucta, jam inversa, & imminuta apparet.

Radii in lentem concavam incidentes post refractam

refractionem non colliguntur, sed eo magis ab axe divergunt, quo longius progrediuntur.

Objecta per lentes cavae erecta, sed multo minora apparent.

Ad visionem claram comparandam Myopibus vitra concava, Presbytis convexa serviunt.

Per vitrum polyedrum tot apparent ejusdem objecti imagines, quot in eo sunt planæ superficies.

### Problemata.

**D**ata altitudine corporis opaci, & altitudine solis supra horizontem, longitudinem umbræ:

Data altitudine corporis, & longitudine umbræ, altitudinem solis:

Data altitudine solis, & longitudine umbræ, altitudinem corporis:

Cognita longitudine umbræ duorum corporum, & altitudine unius, altitudinem alterius:

Cognita objecti ab oculo distantia, & cognito angulo, sub quo videtur objectum, veram illius magnitudinem:

Cognita objecti magnitudine una cum angulo visorio, illius distantiam invenire.

C

Ope

Ope speculi plani altitudinem accessam  
metiri.

Legem refractionis, quam radii ex aere in  
vitrum, & ex hoc in aerem transeuntes subeunt,  
definire.

Viam radii per lentem transeuntis delineare.

Determinare, ex qua vicinæ turris altitudi-  
ne longitudo horti adjacentis maxima appareat.

Designare duo vel plura loca, e quibus idem  
objectum sub eodem angulo videtur.

Determinare rationem densitatis, quam ha-  
bent radii in foco collecti ad radios per totum  
speculum, vel vitrum causticum sparsos.

## ASSERTIONES

EX  
*Ethica, & Jure Naturæ.*

**E**thica est disciplina dirigen<sup>s</sup> actiones huma-  
nas ad honestatem felicitatis humanæ gratia.

Felicitas naturalis hominis consistit in pos-  
sessione summi boni, nempe DEI, qui rerum  
omnium est finis ultimus, ab homine per cogni-  
tionem, & amorem possidendus.

Actio

Actio ut homini in laudem, vel vituperium imputabilis sit, debet esse voluntaria, & libera, rationem voluntatis tollit ignorantia antecedens, & invincibilis, non vero subsequens, neque metus, neque vis ulla, nisi relate ad actus externos.

Honestas actionis sita est in ejus conformitate cum prima regula morum, quæ est voluntas DEI.

Hæc eadem DEI voluntas necessario prohibens ea, quæ hominem a fine suo avertunt, & præcipiens, quæ ad illum consequendum sunt necessaria, est naturæ lex omnibus hominibus per rationem naturalem promulgata, omnesque, si rationis compotes sint, obligans.

Unde præcepta naturæ generalia, & quæ cum his perspicuam habent connexionem, ignorari invincibiliter non possunt, nec DEUS ut Legislator.

Principium cognoscendi juris naturæ saltem ultimum non est amor DEO, sibi ipsi, & aliis naturaliter debitus, nec felicitas humana, nec convenientia cum vita sociali hominis, sed DEUS infinite perfectus.

Jus naturæ aliud est affirmativum, aliud negati-

gativum, utrumque est absolutum semper, & immutabile.

Præcipitur jure naturæ agnitus DEI, ejusque cultus tam interior, quam exterior, ex adverso prohibetur Atheismus, Polytheismus, Idolomania.

Eodem jure vetitum est se ipsum directe occidere, aut mutilare, item famam & facultates projicere.

Cuivis autem naturali jure concessum est se, resque suas etiam cum cæde iniqui aggressoris defendere, dummodo necessitatis & moderationis limites non excedat.

Ad tuendam nihilominus famam, & honorem cædes iniqui aggressoris permitta non est, hinc nec duellum ad licitam sui defensionem referri potest.

Jure naturæ vetitum est omne omnino mendacium, licita tamen ambigua locutio cum restrictione non pure mentali.

Jusjurandum pariter licitum est, si sit de re vera, & honesta, nec temere adhibetur.

EX

EX

# PHYSICA GENERALI.

*De Corporis proprietatibus, & principiis  
Questiones.*

**Q**uid substantia? proprietas? accidens?

Quæ corporum proprietates apud omnes re-  
ceptæ? quæ controversæ?

Quid extensio? impenetrabilitas? divisibi-  
litas? mobilitas? gravitas? attractio? vis re-  
pulsiva? &c.

Quid de principiis corporum notandum?

Quæ conditiones requiruntur, ut princi-  
pium dicatur sensibile?

Quæ præcipuae de corporum principiis sen-  
tentiae?

Quæ Chemicorum principia? quid de sin-  
gulis notandum?

*De Motu*

*Questiones.*

**Q**uid motus? quid motus simplex? æquabi-  
lis? acceleratus, aut retardatus?

Quid vis motrix? pondus? directio motus? spatium? celeritas? massa? volumen? momentum? densum? rarum?

Quæ leges motus?

### Theoremata.

Spatia ab eodem mobili diversis temporibus motu æquabili confecta sunt ut facta ex tempore, & celeritate, unde

Tempora sunt in ratione composita ex directa spatiorum, & reciproca celeritatum? &c.

Corpus a duabus viribus non directe oppositis impulsu[m] describit diagonalem.

Spatia, quæ motu uniformiter accelerato, ab eodem mobili diversis temporibus describuntur, sunt ut quadrata temporum, vel celeritatum. Hinc

Tempora, & celeritates progrediuntur ut numeri naturales 1. 2. 3. &c. spatia vero singulis temporibus confecta ut numeri impares: 1. 3. 5. 7. &c.

Mobile, quod motu uniformiter accelerato, vel retardato fertur, conficit subduplum illius spatii, quod conficeret, si celeritate finali

mo-

motus accelerati, vel initiali motus retardati  
æquabiliter moveretur.

Si corpus a duabus viribus impellatur, ita,  
ut ab una incitetur ad motum æquabilem, ab  
altera ad acceleratum, vel retardatum, parabola  
describitur.

Quantitas motus in corporibus motu æqua-  
bili impulsis est in ratione composita, directa  
massæ & celeritatis.

### *Problemata.*

**E**Ruere alterutrius ex mobilibus vel spatium,  
vel celeritatem, vel tempus.

Determinare vim, quæ ex duabus compo-  
fitis remanet.

Datis tribus, vel quatuor &c. viribus com-  
positam eruere.

Determinare massas, vel spatia, vel cele-  
ritates, vel tempora ex theoremate de quanti-  
tate motus.

### *De Centro Gravitatis*

#### *Quæstiones.*

**Q**uid centrum gravitatis? quid magnitu-  
dinis?

Quid linea directionis corporis gravis?  
quid basis?

Quæ gravia heterogena, quæ homogena?

*Theo-*

## Theoremata.

**C**Orpora quiescunt, si eorum distantia a puncto suspensionis est ponderibus reciproce proportionalis.

Si linea directionis centri gravitatis cadit intra basim, corpus non potest labi, cadet autem versus eam partem, versus quam extra basim cadit linea directionis extra basim.

## Problemata.

**D**atis quibuscunque corporibus eorum centrum gravitatis commune invenire.

Invenire centrum gravitatis perimetri trianguli, figuræ regularis, vel irregularis.

Invenire centrum gravitatis experimentaliter.

## De Collisione Corporum Quæstiones.

**Q**uid sit ictus centralis?

**Q**uid corpora dura? elastica? mollia?

## Theoremata.

**S**i duo corpora perfecte dura colliduntur, quorum alterum quiescit, celeritas incurrentis dividitur in utrumque pro ratione massarum.

Si utrumque perfecte durum celeritate inæquali versus eandem plagam movetur, differentia celeritatis in utrumque dividitur dicto modo.

Si

Si duo mobilia perfecte dura viribus æquilibus concurrent, motus post impactum nullus erit.

In concursu corporum, quorum celeritas diversa est, idem fit, quod fieret, si unum quiesceret, alterum vero differentia virium incureret.

In perfecte elasticis incurrens post ictum, duplam quantitatem motus illius perdit, quam perdidisset, si utrumque perfecte durum fuisset. Quiescens autem duplam quantitatem motus illius acquirit, quam acquisivisset, si perfecte dura fuissent.

*De Machinis simplicibus  
Quæstiones.*

**Q**uid nomine Machinarum simplicium intellegitur?

Quid vectis? quotplex?

Quid hypomochlium? quid radius?

Quid planum inclinatum?

Quid cuneus?

Quid cochlea? quotplex? quid trochlea,  
polyspastum?

Quæ instrumenta ad cuncum revocantur?

D

Theo-

## *Theoremata.*

**I**N vecte potentia est ad pondus in ratione reciproca distantiae ab hypomochlio.

Potentia in trochlea fixa juvat tantum ad directionem, non vero compendium virium est;

In trochlea vero mobili pondus sustentat, si est subdupla ponderis.

In polympasto potentia est ad pondus, ut unum ad numerum funium tenorum.

Ut sustentetur pondus ope axis in peritrochlio, debet potentia esse ad pondus, ut radius cylindri, cui funis circumvolvit, ad radium circuli, cui potentia applicatur.

Ut potentia ope plani inclinati pondus sustentet trudendo horizontaliter, debet esse ad resistentiam ponderis, ut altitudo plani inclinati ad cathetum, quæ cum altitudine angulum rectum comprehendit.

Ut ope cochlearum sustentetur pondus, requiritur ea vis, quæ sit ad illud, ut distantia duarum helicum ad peripheriam cylindri cochlearum.

Ut ope cunei sustentetur pondus, potentia debet esse ad illius resistentiam, ut latitudo basis cunei ad ejusdem altitudinem.

*De*

## *De Impedimentis Motus.*

**Q**uid est medium? quid affrictus? quid reflexio? quid refractio?

Quid corpora solida? liquida? glabra, vel lævia? aspera?

Quot modis crescere, quot modis imminui potest affrictus?

## *Theorematum.*

**O**mne medium quantumcunque tenue resistit.  
Angulus incidentia est æqualis angulo refractionis.

*De motu gravium per plana Inclinata*

## *Quæstiones.*

**Q**uid gravitas absoluta? quid respectiva?

**Q**uae præcipua gravitatis phænomena?

Quomodo sciri potest gravitas specifica corporum in data quantitate?

## *Theorematum.*

**G**ravitas respectiva corporis per planum inclinatum labentis est ad gravitatem absolutam, ut altitudo plani ad ejus longitudinem.

Si plura plana inclinata similia ad eundem angulum inclinentur, tempora, quibus ea a mo-

bili percurruntur, sunt in ratione subduplicata longitudinum planorum.

Tempora, quibus arcus similes percurruntur, sunt in ratione subduplicata radiorum.

Mobile per planum inclinatum descendens in infimo puncto eam acquirit celeritatem, vi cuius mutata directione possit ad eandem altitudinem ascendere.

### *De Pendulis*

#### *Quæstiones.*

**Q**uid pendulum? quid ejus longitudo?

**Q**uid oscillatio? quid oscillationes isochronæ?

Quid cyclois? quid pendulum præstat inter duas semicycloides motum?

#### *Theorematæ.*

**N**umeri oscillationum, quas pendula inæqualis longitudinis eodem tempore conficiunt, sunt in ratione subduplicata longitudinum reciproca. Seu quadrata numerorum oscillationum sunt reciproce ut longitudines.

Numeri oscillationum, quas pendula ejusdem massæ, & longitudinis dato tempore conficiunt, sunt in ratione subduplicata directa viuum acceleratricium.

*De*

*De æquilibrio, & pressione liquidorum  
Quæstiones.*

**Q**uid fluidum? liquidum? humidum?

**Q**uae liquida ejusdem gravitatis specificæ dicuntur?

Quæ specifice graviora?

Quid momentum pressionis in liquidis?  
quid siphon anatomicus?

*Theorematæ.*

**S**i quotcunque tubi in fundo communicent,  
æquali se momento premunt.

Fluidum juxta omnes suas partes prope fundum, & in æqualibus a fundo distantiis æqualiter premitur.

Fluidum juxta omnes suas partes quaqua-versum æqualiter premitur.

Celeritates, quibus fluida profiliunt ad datas altitudines sunt in ratione subduplicata altitudinum.

Vis, qua totum aliquod corpus in fluido premitur, æquatur superficie in altitudinem fluidi ductæ, quæ est a superficie fluidi usque ad centrum gravitatis commune superficie corporis demersi.

Si planum aliquod parallelogrammum oblique immersum sit fluido, ita premitur, ac si in

situ horizontali poneretur in ea altitudine, qua ejus centrum gravitatis a superficie fluidi distat.

Fluida non obstante mutua pressione, sua gravitate singularum partium deorsum premunt.

Altitudines diversorum fluidorum in tubis communicantibus sunt in ratione reciproca specificæ gravitatis.

Pressio liquidorum in fundos vasorum æquatur basi in altitudinem ductæ.

Corpus specifice gravius in fluido leviori tantum sui ponderis amittit, quantum est pondus fluidi sub eodem volumine.

Corpus specifice levius in liquido graviori eousque immersitur, donec pondus liquidi sub volumine partis mersæ æquetur ponderi totius corporis innatantis.

Corpus in liquido ejusdem gravitatis specificæ totum præcise mergitur, & ubicunque intra illud positum quiescit.

### *De Attractione*

#### *Quæstiones.*

**Q**uid nomine attractionis intelligitur?  
**Q**uae phænomena cogunt ad leges quasdam extraordinarias recurrere?

funt

Suntne inter hæc etiam phænomena tubularum capillarium, & quæ?

Quæ sunt leges attractionis?

### Theorematæ.

**I**N cono basis sphæricæ omnes sectiones basi parallelae æquali vi attrahunt particulam in vertice coni constitutam.

Attractio coni majoris est ad attractionem coni minoris in eandem particulam in ratione laterum homologorum coni.

Unde in corporibus similibus ad similiter positas particulas attractio est in ratione laterum homologorum.

Particula minima sita intra sphæram cavam extra ejus centrum, si sphæra est in æqualibus a centro distantiis homogenea, undique æqualiter trahitur.

Attractio partium minimarum intra sphæram positarum in sphæram est in ratione directa distantiarum a centro.

Gravitas, qua corpora in se mutuo gravitant, si conferuntur cum gravitate in totam terram, insensibilis est.

De

*De divisibilitate, & porositate corporum  
Questiones.*

**Q**Uæ phænomena stupendæ divisibilitatis?  
Unde porositas corporum demonstratur?

Cur corpora quædam, licet valde porosa sint,  
aquam tamen, vel alios liquores non transmittunt?

Cur aliqua corpora determinatos tantum liquores transmittunt, non item alios?

*De Sono*

*Questiones.*

**Q**uid sonus?

**Q**uid reflexio soni? quæ naturæ phænomena de hac soni reflexione memoratu digna?

Quomodo augeri potest sonus?

Quid tuba acustica?

Quanta soni celeritas?

Quid auget, vel impedit celeritatem soni?

An per alia etiam corpora, quam per aerem propagatur?

Quomodo sonus excitari potest in una chorda per pulsum alterius consonæ?

ASSER-

# ASSERTIONES

EX

## PHYSICA GENERALI.

**I**dea corporis sensibilis recte exprimitur, per proprietates omnes corporis cognitas, unde corpus dicitur substantia extensa, impenetrabilis, divisibilis, mobilis &c.

Si principia immediata corporis sensibilis spectantur, quinque elementa chemica recte statuantur.

Inter reliquas corporum proprietates etiam vim inertiar censemus.

Ex qua, modo vis ejus infinita non sit, mobilitatem sequi necesse est.

Quantitas vis inertiar, qua motui resistit, si massae sunt aequales, par est celeritati, qua post ictum moventur; alias autem proportionalis est massis quam proxime.

Actio, qua corpus motum in quiescens agit, est instantanea, si corpus sit perfecte durum, secus non est.

Ad explicandum ascensum liquorum in tubis capillaribus;

Ad explicanda phænomena gravitatis;

Ad solutionem, & præcipitationem metal-

E lorum;

lorum; crystallisationem salium &c. exponenda  
utimur attractione.

Vis elastica corporum petitur a vi repulsiva,  
vel expansiva ignis.

Liquiditas corporum habetur ab igne, qui li-  
quidorum partes in motu perpetuo conservat.

Ad sonum requirimus motum tremulum  
partium minimarum elasticarum corporis sonori,  
& motum tremulum, ac oscillatorium aeris mo-  
tui corporis sonori analogum.

## EX PHYSICA SPECIALI.

### *De Corporibus Cœlestibus* *Quæstiones.*

**Q**uale systema Tycho?

**Q**uale Copernicus statuit?

Quomodo distantia planetarum, vel tempus  
periodicum inveniri possunt?

Quomodo astrorum motus explicari potest?

Quid de fixarum numero? lumine? motu ap-  
parente? magnitudine? distantia notatu dignum?

Quæ stellæ novæ? quæ nebulosæ dicuntur?

Cujus naturæ, & figuræ est sol?

Quid de solis maculis notatu dignum? quæ  
præcipuæ de his maculis sententiæ?

Quid lumen zodiacale?

Quid de Saturno? Jove? Marte? Venere?  
Mercurio? & luna philosopho sciendum?

Quæ

**Quæ** controversia de figura telluris?

**Quid** sunt Ecclipses? quomodo fiunt?

**Quid** de cometis notandum? quid de cometarum caudis?

*De Luce.*

**Quæ** nunc præcipuæ de luce sententiæ?

**Quæ** phœnomena lucis præprimis explicanda?

**Quæ** corpora diaphana? quæ opaca? & unde dicuntur?

**Quam** refractionem patitur lux? quomodo explicatur?

**Quæ** observationes de lucis refractione singulariter commemorandæ?

**Qui** colores emphatici? qui principales?

**Quid** album? quid nigrum?

*De Igne.*

**Quæ** igni proprietates tribuuntur? quomodo explicandæ?

**Quomodo** ignis excitari potest attritu? percussione celeri? comixtione liquorum? directio-  
ne radiorum parallelorum, conjunctione eo-  
rundem?

**Quid** est flamma?

An aer necessarius ad ignem?

**Quid** pabulum ignis vocatur? quod est ejus pabulum?

**Quid** & quotplex est phosphorus?

Quomodo parandi pulveres, qui in tenebris  
lucent?

Quid sunt ignes centrales? quid subterranei?

Quid thermometra? quale præferendum re-  
liquis?

### *De Aere.*

**Q**uid de aeris fluiditate? subtilitate? separabi-  
litate? pressione? elasticitate notandum?

An aer gravis, an & quantum comprimi,  
ac dilatari potest?

Quid atmosphæra? an ejus altitudo accu-  
rate sciri potest?

An aer atmosphæricus nobis necessarius? &  
quibus sub conditionibus?

An aer generatur in corporibus?

Quid Baroscopium, seu Barometrum? quid  
Hygroscopium? quid Monoscopium?

Quomodo parantur?

Quæ observationes in his factæ? quo modo  
explicandæ?

Quæ præcipue phœnomena ab aeris gravi-  
tate pendent?

### *De Aqua.*

**Q**uæ sunt aquæ proprietates?

Quid de ejus vi expansiva in vaporibus?  
vi solvendi &c. præcipue notandum?

Quo-

Quomodo puritas ejus cognosci potest?  
Quomodo pura reddi? & conservari?  
Quæ præcipue sententia de fontium origine?  
Quæ phœnomena æstus maris? quomodo  
explicanda?

An congelatio fiat per particulas frigorificas?

Quomodo fit? quomodo artificialis?

Quomodo regelatio?

### De Terra.

**Q**uid de superficie globi terraquei notandum?  
In quot præcipue classes terra dividitur?  
Quæ est origo, & incrementum lapidum?  
Quid de metallis, semimetallis, & salibus  
fossilibus sciendum?

Quæ eorum origo?

Quid in specie de auro, argento, mercu-  
rio &c. notandum?

Quid de magnete in genere?

Quid de ejus attractione?

Quid de vi communicativa? Armatura?  
Directione? Declinatione? Inclinatione notatu-  
dignum?

Quæ est de ejus phœnomenis P. Boscovich  
sententia?

### De

*De Meteoris aqueis.*

**U**Nde tot in atmosphæra nostra vaporess? Quid nebula? quid nubes? quid & quotuplex pluvia?

Quid Prester? quid ros? quid pruina? quid grando? quid nix?

*De Emphaticis.*

**Q**uid & quotuplex Iris, quomodo formatur? quid Halo? quid Parelī? quid Paraselenæ?

*De Igneis.*

**Q**uid fulgor? quid fulmen? quid Globi aut Bolydes? quid stellæ cadentes? quid capræ, aliique ignes fatui? quid aurora borealis?

*De Aereis.*

**Q**uæ sunt meteora aerea? quid venti? quid de eorum celeritate? quid de tempore? quid de directione &c. observatum? quæ causa?

*De Electricitate.*

**Q**uid est electricitas? quæ phœnomena attractionis? repulsionis? lucis? communicationis? propagationis?

Quid de concussione, & ictu fulmineo notandum?

Quæ sunt corpora electrica? quæ idioelectrica? quæ simperielelectrica?

Quæ

Quæ congrua horum phœnomenorum explicatio?

### De Plantis.

Quæ plantarum structura?

Quæ phœnomena de motibus plantarum?

Unde nutriuntur plantæ, quid ad earum incrementum conductit?

Quid & quomodo fit insitio?

Quid tumores in plantis?

Quomodo degenerant?

Qui plantarum morbi?

Quid de fungis? quid de musco? quid de plantis marinis notandum?

### ASSERTIONES

EX

### PHYSICA SPECIALI.

Systema Copernici phœnomenis explicandis aptius est, ac Tychonis?

Cometæ sunt species planetarum?

Caudæ cometarum vaporessunt, qui a capite assurgunt in partes solis oppositas?

Lux non fit per emissionem effluviorum corporibus lucentibus;

Sed

Sed est æther, cui a corporibus lucentibus  
motus oscillatorius imprimitur.

Colores a diversa radiorum refrangibilitate  
pendent.

Corporum opacorum colores per tensionem,  
& elasticitatem partium explicantur, vi quarum  
hujus potius motus, præ alio capaces fiunt.

Ignis in motu ætheris positus est.

Dantur ignes centrales, & subterranei.

Per pressionem aeris atmosphærici suspensio-  
nem aquæ ad 32. pedes; mercurii ad 28. circiter  
digitos; phænomena syphonum &c. expli-  
camus.

Fontes alii a mari, alii a pluviis, & nivi-  
bus; alii a vaporibus oriuntur.

Congelatio fit per egressum particularum  
ignearum.

Terra nostra ad polos videtur esse depreffâ.

O.A.M.D.G. ET B.V. S.L.C.H.



